P. o. lat. 1661 Vt
IX. P 313

P. o. Lat. 1661 v.

CARMINA ANTONII GIGANTIS FOROSEMPRONIENSIS

EXAMETRA,
ELEGIACA,
LYRICA, &
HENDECASYLLABA.

[gigas]

BIBL. GVST. C. GALLETTI FLOR

Bononiae, apud Ioannem Rossium. MDXCV.
Curiae Archiepisc. & S. Inquisit. concessu.

2C6/70/45

Bayerische
Staatsbibliothek
München

Bayerische
Staatsbibliothek
München

AD

ILLVSTREM VIRVM, ET EXCELLENTISSIMVM IVRISCONSVL. ANGELVM SPANNOCCHIVM SENENSEM,

In Gymnasio Bononiensi Primarium Lectorem

ANTONIVS GIGAS.

VM nimium cautus, timidusuè, bone ANGELE, rebar
Me benè carminibus consuluisse meis:
Subuereor, dura nimium cer-uice reluctans
Ne fuerim monitis, consilijsq; tuis.
Namq; mihi sat erat, penitus post funera mecum
Obscura si non obruerentur humo.

Atq; ideo Senis tutò ſeruanda locaram
Muſæo in nitido, noſtri & amante domo.
Tu verò cenſes, ea non indigna videri,
Quae vulgo iam nunc edita quiſq; legat:
Ne dum alijs etiam quæ notificentur amicis,
Siue illi nobis ſint propè, ſiue procul.
Hiſcere iam contra nil audeo; tantus & ipſe
Auctor es, & tanti ſunt tua verba mihi.
Auſpicijs en ergo tuis in luminis auras
Procedunt: pergas illa fouere, precor.
Aſt ò ne pigeat te conſuluiſſe clienti,
Quod non æquè omnis lector vbiq; probet.
Me certè, quòd ſim talis conſulta patroni
Amplexus, nemo carpere iure queat.

AD PERILLVSTREM

HIPPOLYTVM

AVGVSTINVM

SENENSEM

Caldanae Dominum, ac Militiae S. Stephani in Patria Baliuum

ANTONIVS GIGAS.

VALI pauper opum, ſed multae prolis abundans,
Iam ſenior natis proſpicit arte pater:
Quorum aliquem ingenuae tactum virtutis amore,
Ne vitam obſcuro ſub lare degat iners;
Culturae, obſequioq; dicat locupletis amici,
Vt ſibi praeſidium comparet, atq; decus.
HIPPOLYTE illuſtris, tali hunc ego mente libellum
Mî carum ante alios, dono, dicoq; tibi.
Ingenij foetus natorum nomine noſti

Di-

Dignari, & partus quenq; fouere ſuos.
Ipſe etiam hunc genui, donec melioribus annis
Congreſſum haud renuit caſta Thalia meum.
Aſt eadem nunc me, canos exoſa capillos,
Torpentem & calamũ, iam tremulamq; manum,
Negligit. hinc ſoboles quo ſeſe tuta recepter,
Quandocunq; mea deſtituatur ope,
Dum meditor: luſtri vndecimi nam fine propinquo
Haec animum (fateor) cura ſubinde premit:
Vnus tu nobis occurris dulce leuamen,
Atque tuo tandem eſt parta in amore quies.
Hoc equidem bonitas ſuadet ſperare, fideſq;,
Splendidaq; hoſpitibus ſemper aperta domus.
Nempe quòd excipies laeto mea carmina vultu,
Seruabisq; graui fulta patrocinio.
Non tamen vt Vatũ haec inter monumenta reponas
Poſcimus: haud mentem tanta cupido ſubit.
Quin mihi ſat fuerit, pluteo vt condantur in imo,
Non ſine laude locus te penes vllus erit.
O vtinam ſic te Liber oblectare legentem
Poſſit, Muſaeo vel decori eſſe tuo.
Muſaeo inſigni omnigenis, quas maxima mittit
India, vel Libye, vel nouus orbis opes.
Inſigni & pictis tabulis, & marmore, & ære,
Arte quod expolijt priſca, recensuè manus.
Singula ſed multis nequeam ornamenta referre,
Ne dum pagella ſtringere cuncta breui.

Tam

Tam variae rerum Naturae, atq; artis in vnum
Congeſtae ſpecies tecta per ampla nitent.
Nec minus ornatus librorum, & copia, & ordo,
Magnifici, & culti dant animi indicium.
Quamquam nō omnis laudū eſt haec ſumma tuarū,
Fonte ab inexhauſto nam tibi manat honos.
Cuius ad extremos interdum accedere riuos
Optaui, longa me ſtimulante ſiti.
Sed mage purgatis hauſtus tam nobilis vndae
Continget labijs munere Pieridum.
Quae cygnos etiam tibi alunt, ſublime canendo
Laturos quondam nomen ad aſtra tuum.
Quorum ego ſi merear cantus audire ſuperſtes,
Supremum potero laetus obire diem.
Interea gaudebo tuis ſplendoribus, & te
Carmine ſi nequeo, corde, animoq; colam.

ANTONII GIGANTIS FOROSEMPRONIENSIS CARMINA EXAMETRA.

Ad LVDOVICVM BECCATELLVM Bononienſem Raguſinorum Archiepiſcopum.

ISDEM *te affari audemus, Pater optime, verbis,*
Magnus Alexander quibus vti iure ſolebat,
Tolleret eximium gratus cùm laude magiſtrum:
Cui ſeſe plus, quàm debere parentibus ipſis,
Aiebat, quòd tantùm hi eſſe, ille benè eſſe dediſſet.
Nam ſi qua ingenuae mihi ineſt virtutis imago,
Poculaq; Aonij ſi qua vnquam nectaris hauſi,
Acceptum hoc vni refero tibi; ſi tamen ipſe
Tot pulchras inter pinus, lauroſq; virentes,
Queis tua felices cultura exornat agellos,
Creſcere ſilueſtris germen patiaris oliuae.
Quanquam ſi obnixo potuiſſem tendere curſu
Semper, & egregios non exhorrere labores;
Te monſtrante viam, & verae exemplaria laudis,

Iam nunc forte ſacra Parnaßi tutus in arce
Conderer, aërij emenſus faſtigia montis,
Cuius iners adeò vix limina prima pererro.
Me mea culpa premat, meriti modò gloria tanti
Te maneat, famuli ingeniumq́, animumq́ labantem
Et ſtudio, & cura aßidui excoluiſſe parentis,
Hacq́ ipſum ditaſſe tenus pro viribus vltrò.
Quamuis parua tuae hinc ſumant exordia laudes,
Nec tibi me tantùm benefacto obſtrinxeris vnum.
Vocibus haud dubijs nam plurima turba clientum,
Et longè acclamat mihi littoris ora Liburni;
Dives vbi magno Paſtorem Epidaurus honore,
Sponte, diu, precibus multis, votisq́ cupitum,
Te colit, & gregibus praebentem pabula laeta,
Et nitidos fontes te grato praedicat ore.
Hae tibi ſemper erunt artes, quocunqne locorum
Romani te iuſſa Patris, ſummiq́ Senatus,
Aut ſacrum munus, caeleſtisq́ aura vocabunt.
Quàm multos de te memores feciſſe merendo.
Carmine at haec olim forſan meliore canemus,
Nunc ſatis eſt, mentem accepti praeferre tenacem.

Ad LVDOVICVM PARISETVM Iuniorem Regienſem.

PIERII *Ludouice chori clariſsime cultor,*
Si tibi adhuc animo obuerſatur fortè Gigantis
Nomen, & illius ni dedignare Thaliae
Verſiculos legiſſe, tuam quae numinis inſtar
Iampridem toto veneratur pectore muſam:
Hos lege conſcriptos in Prato nuper amoeno,
Quod Tuſcus rapidis Biſentius alluit vndis.
Primò vbi iam celebrem ſcriptis, & nomine notum
Te fuit optanti mihi compellare facultas.
Hîc me (qui tuus humanus, cupidusq; iuuandi
Eſt animus) gradibus lentis Helicona petentem
Vrſiſti placidis monitis, ac tuta viarum
Monſtraſti ſpatia, & quidnam vitare, ſequiúe
Conueniat ſacros audenti ſcandere montes.
Tunc ego ſic auidam admoui ſermonibus aurem,
Et doctas imo ſic hauſi pectore voces,
Vt ſitientis ager Libyae non ſiccior vnquam
Per medios aeſtus effuſum admiſerit imbrem.
Quin grates coràm, vt potui, tibi ſaepius egi,
Nec minus abſenti interdum me ſigna daturum
Promiſi, vt mecum tua quantum hortamina poſſent,
Perſpiceres, quamq; ipſe tui non immemor eſſem.
Ecce autem, menſis dum praeterit vnus, & alter,
Promiſsi reus in quintum iam deferor annum.

Nae mala ſegnities, conſuetis neſcia pelli
Sedibus, inuitum officio me deeſſe coêgit.
Erraui, fateor, mendaxq; redarguor. at tu
Ignoſce, & facilis, precor, obliuiſcere culpam.
Nec ſerum potius calamum, ſegnemq; Camoenam
Incuſes, quàm me reputes haud vana locutum,
Cùm nullo immemorem deſpondi tempore mentem.
Namq; eadem mihi ſemper erit, nec inertia mollis,
Nec longinqua loci, vel temporis interualla
Inde tuum poterunt vnquam diuellere nomen.
Nunc quid agam, ſi ſcire cupis, vel noſcere curas,
Iiſdem me oblector ſtudijs, ijſdemq; libellis,
Conclaui quos ipſe meo verſare ſolebas
Saepius, atque mihi ante oculos praeferre legendos.
Praecipuè tamen altiloqui me muſa Maronis
Detinet, inq; dies animo ſe pulchrior offert,
Theſaurosq; aperit, dites quibus India merces
Non queat, aut aurum, aut gemmas conferre nitētes:
Cuius ego à teneris formam admirarier annis,
Et colere ante alias aſſueui; at vera fatebor,
Hactenus eximium non inſpexiſſe decorem,
Quo ſummo illa pedes à vertice ſplendet ad imos.
O te felicem, dio cui nectar ab ore
Libare, & fas eſt altos cognoſcere ſenſus,
Scilicet & tantae cantus audire Camoenae,
Quorum vix tenuis nobis allabitur aura.
Eſt mihi praeterea curarum dulce leuamen

Te-

Teſtudo, haud ignota quidem tibi, nec rudis illa
Artificis fabricata manu, ſed pectine digna,
Cui magis ornatos numeros inſpiret Apollo.
Sed neque ſic animum diuini carmina Vatis
Delectant, neq; ſic citharae ſonus excitat aures,
Patroni vt ſuadela mei, & doctiſſima verba;
Quae bene tu noſti, & quorum me longior vſus
Iam magis atque magis ſitientem reddit, vt hauſtu
Expleri nequeam, ſiue ille recenſeat omnem
Temporis exacti ſeriem belliq́, togaeq́
Plurima quae prudens oculis percepit, & aure,
Protinus & memori percurrit mente legendo.
Siue ſacros libeat Sophiae recludere fontes,
Et mirè ignotas rerum perquirere cauſſas.
Seu caeli tractus, & caelo errantia dicat
Sidera, terrarumq́ ſitus, & nomina monſtret.
Siue arcana Dei, & leges (quae maxima laus eſt)
Explicet, atque pios cultus, & myſtica ſacra.
Tu verò mi docte Pater, iam tempore ab illo,
Quo patriam hinc parua cum nata, & coniuge abiſti,
Quidnam agis? an'ne omnes ſani, rectèq; valentes
Viuitis? egregio quid dignum Muſa cothurno
Panxit adhuc? quidúe illa tibi nunc ſedula dictat?
Cui tot magna dedit, pulcher negat ocia Phoebus.
Num forte oppreſſos dudum meditare tumultus,
Impiae et excidium gentis, quae Gallica regna
Obnixè toties ſceleratis miſcuit armis?

Num-

Num'ne etiam illuſtres longum meditaris in aeuum
Aeternare viros, quos inclyta Gallia fortes
Vltores armat pro Chriſti nomine, & aris,
Nec non pro Caroli ſacro diademate Regis?
Et quos ingenti tactos pietatis amore
Itala in auxilium tellus, & Iberia miſit?
Siue hoc, ſiue aliud doctis intexere chartis
Inſtituis, coepta Aonides, ac vota ſecundent.
Ne tamen à ſtudijs pigeat ſeiungere partem
Temporis exiguam, vt dulci me carmine dignes,
Edoceasq; ſtatum rerum, Pariſete, tuarum.
Quòd ſi nulla mei tangit te cura, patrono
Obſequere, haec eadem de te cognoſcere auenti,
Qui tibi me multam iubet impertire ſalutem.

LVDOVICI PARISETI Iun. Ad ANTONIVM GIGANTEM.

ESSE Giganteum cùm te perpendo, videtur
Haud quaquam mirum, ſi tu ſublime canendo
Affectes caelum, & diuos ſuperare Poetas
Scribendo moliris, inis cognomine dignum
Effectum: robur magnum, viresq; potentes
Eloquij oſtendis: veluti ſuperare Gigantes
Corporea reliquos perhibentur mole, canendi
Viribus exuperas ſic tu quoſcunque Poetas,
Qui noſtra celebres hac tempeſtate feruntur.
Tolleris vt famam in caelum, grandiq; Gigantem

Nomi-

Nomine te præſtas: ſic religione calere
Te vellem tanta, tanta & pietate teneri;
Vt caelum appeteres, caeloq; inferre Gigantem
Te vi tentares lata; te molibus vnà
Congeſtis tribus in caelum ſuſtollere quibis:
Et poteris, firmata fide ſi machina creſcat:
Mole ſpei, & culmen capiat charitatis, in altum
Te ferre, & ſuperato omni deſcrimine caelum
Scandere, quod priſci iam non potuere Gigantes
Montibus aggeſtis conſcendere: quibis in illud
Omninò te ferre Gigas, ſi montibus vſus
His planè fueris, charitate videlicet, & ſpe,
Atque fide: ſi vi cumulandis montibus iſtis
Praecipua inſtiteris: caeli ſuperare petendi
Difficiles quaſcunque vias ſic quiueris ipſe:
Vim patitur caelum, caelum violenter initur.
Namque per affectus contuſos corporis, & per
Coniectos ſenſus in vincula, perq; redactam
Hanc in contemptum vitam via panditur, & ui
Illata caelum recluditur: arcta pateſcit
Ianua, & expugnata aditum ſubeuntibus vltrò
Permittit. Sic te caelum affectare Gigantem
Optarem: ſic te poſitis affectibus huius
Et vitae, & mundi cuperem violenter agentem,
Atque giganteo pugnantem robore, caelum
Aggredi, & aetheream pugnando viriliter arcem
Conſequi, & aeternam caeli tibi quaerere ſedem.

Ni

Ni profligato vitae praesentis amore
Huius, & affectu mundi violenter abacto,
Spe, charitate, fide fueris subnixus, & hisce
Molibus instructis fueris sublatus: in altum
Scandendi, & caeli subeundi cedet inanis
Conatus, vanoq; exibit futilis ausu:
Nec secus, ac priscos fiducia caeca gigantes,
Te frustrabit, & expertem te deniq; fructus
Arguet in vanis studijs triuisse laborem.

Ad LVDOVICVM PARISETVM Iuniorem Regiensem.

SIc me Christus amet, trepidamq; in fine supremo
Hanc animã ab rigido clemens sibi vendicet hoste:
Vt, Parisete, tuum mihi doctum, et amabile carmen
Vitae adeò ingentes aeternae exciuit amores,
Vt quicquid studio pridem sectabar inani,
Respuere incipiam iam nunc, & pendere parui.
Quas igitur grates tibi tanto munere dignas
Aut dicam, aut referam? Veri nam functus amici
Officio, ut par est, seruasti prorsus amicum.
Dum tu fucato medicamine nescius uti,
Interius condi ferrum, resecandaq; censes
Vlcera; vt insanos mens scilicet exuat omnes
Affectus, quibus, aduersis ceu nauis ab undis,
Huc illuc rapitur, nec sede quiescere certa
Est potis: immotam nisi fortior anchora firmet.

Quam

Quam non posse alio religari in littore sensi
Vix tandem, quàm quo Christus spatiatur, & alit
Aduocat in portum fluitantes æquore nautas.
Quò tua me posthac certum est exempla sequentem
Cursum dirigere, & curarum turbine nullo
Inde referre pedem. quin laeta voce profari
Iam libet, Illecebrae mundi procul este procaces,
Nil mihi vobiscum, iam vos, & vestra perosus
Despicio, ac studij capior melioris amore.
Talia nunc equidem sub te, Ludouice, magistro
Proferre audebo: tantum tua scripta legendo
Tollor humo, & solùm vera, atq; decentia curo.
At tibi pro tali largè pietate rependat
Praemia Caelicolùm rex, eius numina quando
Tantopere ipse colis, nec non sermone diserto
Inuitas alios, merito vt venerentur honore.
O me felicem, si docto excerpere ab ore
Colloquia interdum coràm, & præcepta liceret.
Sed postquam longis dispescimur interuallis,
Ne, quæso, dilecte pater, cùm fortè vacabis,
Dedignere tuis me compellare tabellis,
Vt maiora meis calcaria cursibus addas.
Interea, vt valeas, cura, Antoniq; memento,
Quo tibi non vsquam viuit mage deditus alter:
Illustris quamuis virtutum fama tuarum
Longinquas latè sese diffundat in oras.

In Diuum NICOLAVM MYRAE Episcopum, & Confessorem.

QVAM celebrare diem primis assueuimus annis,
Laudibus hanc etiam cumulet maturior ætas,
Nicoleoq; sacro festum veneremur honore.
Nam puer incinctus frondenti tempora lauro,
(Quàm meminisse iuuat) tenera comitante caterua,
Ardentes gestare faces, & ducere pompas
Gaudebam, & clarè ante aras dictata referre
Carmina. multiplici delubrum voce replebant
Fundentes puro socij de pectore laudes.
Ast ego diuinam illius longo ordine vitam
Enarrans, loculos memorabam nocte silenti
Aere graues inopis iactos in tecta parentis,
Virginei dotes, ac tutamenta pudoris.
Atq; adeò vt Christi normã, & præcepta sequendo
Esset opes cunctas vltrò impertitus egenis.
Vtq; Dei monitis Patarensi à sede profectum
Magno illum populus Myrae excepisset honore.
Quamq; piè in terris perfungens munere sacro
Christicolas opere assiduus iuuisset, & ore.
Tum saeuo innumeros seruatos aequore nautas,
In portumq; rates medijs è fluctibus actas
Incolumes Diui auxilio praesente, canebam.
Et quae multa bonus numeris comprensa magister
Iusserat edisci, ac reddi inter sacra quotannis.

At

At quas, ſancte Pater, dignas nunc dicere laudes,
Aggrediar? vel quo te carmine compellabo?
Omnia tunc meliora fuere, & carmina doctor
Optima condebat Panaetius, optimus ipſe. Ludouicus Panaetius Fanenſis praeceptor meus.
Atq; ego tunc ſaltem liquidos è gutture cantus
Promebam, & caſto obſequio tua templa ſubibam.
Nunc iucundus abeſt vocis ſonus, illaq; pridem
Carmina ſunt oblita. nouos ſed fingere verſus
Qualeſcunq; mea auderet fortaſſe camoena.
Verùm animi virtus deeſt, & ſyncera voluntas,
Qua Deus in primis inter ſolennia ſacra,
Et vos caeleſtes animae gaudere ſoletis.
Ergò hinc Diue tuas adeo nunc cernuus aras,
Et ſupplex poſco, vt regem ſtellantis olympi
Exores veniam mihi vitae ignauiter actae,
Ac menti vt priſcum reddat pietatis amorem.
Hei mihi, praeteritos recolo ſi conſcius annos,
Siue recens duro impreſſas in pectore ſordes,
Horreſco, & dira interius me cura remordet.
Tu modò, tu caelo, Antiſtes Sanctiſſime, ab alto
Affer opem, ac precibus pro me potioribus inſta.
Solicitae hanc animae dotem impertire benignus,
Daemonis vt vafri illecebras exoſa, pudicè
Viuere amet, ſtudijsq; operam iam nauet honeſtis.
Ne quaeſo, ne me in tantis patiare periclis
Deſtitui, & rapidis rerum demergier vndis.
Namq; aliàs ſupero proſpexi è littore nunquam,

Aut ex Illyrij ſcopulis, ſurgentibus auſtro
Fluctibus, Adriaco iactatas aequore naues
Aequè, ac me infeſtae iactant hinc inde procellae.
Harum oculus triſtem faciem caligine merſus
Non videt, & ſurdae nequeunt audire fragorem
Auriculae; aſt animus iampridem ſentit, & horret,
Ac feßus tandem exoptat ſe condere portu.
Illuc te rectore, precor, me lenior aura
Deducat, dexteráq; meis iam curſibus adſis.
Vt noua deinde tuis templis votiua Tabella
Pendeat, inſtauremq; memor tibi ſacra quotannis.

Ad Io. BAPTISTAM BOVIVM Presbyterum Regienſem.

QVID me, care BOVI, *toto hoc Septẽbre manentẽ*
Ruri egiſſe putas? vacuum num ſemper apricos
Per colles, & amoena vireta, & mollia prata
Cenſes errauiße, libros, ac dulcia Muſae
Alloquia exoſum? non hoc me tempore tanta
Segnities cepit: terere haud ſic otia magnus
Me meus edocuit dominus, nec tale ſequendum
Exemplum de ſe mihi praebet: nam grauis annis
Nunc etiam legit aßiduè, ſolius auarus
Temporis, & cultis mandat quàmplurima chartis,
Quae praeſens, & ventura admirabitur aetas.
Ipſe igitur tanti ducis, etſi paßibus aegris,
Optima ſectando veſtigia, me quoque doctis

Priſco-

Priſcorum ſcriptis oblecto, conor, & inde
Non ſolùm exhaurire ſonum, dulcemq; leporem
Verborum libare, auidas qui mulceat aures;
Sed ſtudeo, vt ſolidas animus ſibi comparet eſcas,
Quae modò ſufficiant, ſenij & ſeruentur in annos.
Non etenim hoc contrà fas, aut caeleſtia iuſſa
Solicitat ſtudium mortales, ſi qua ſenectae
Subſidia antè diu ſeponant. non ego multa
Iugera diſcupio (caeleſti gratia Regi,
Hac qui me ſcabie purgauit, itemq; Patrono
Gratia magna meo, cuius mihi dextera parco
Proſpexit largè) ſed curam hanc totus in vnam
Incumbo, vt ſenſus exuti affectibus almae
Imperium rationis ament, dominamq; volentes
Agnoſcant; & quò deduxerit ipſa, ſequantur.
Nimirum dilecte BOVI, *illa immania monſtra,*
Quae quondam Herculea vi perdomita eſſe feruntur,
Inſanos dicam affectus, ſenſusq; rebelles.
Quidnam aliud Nemeae rabies compreſſa Leonis
Arguit, humani effraenam niſi pectoris iram?
Quidue Erymantheus ſus praeſeferre videtur,
Impuram niſi luxuriem, moresq; nefandos?
Aurea item aeripedis quid ſignant cornua Cerui?
Auri nempe famem. reliquos ſic ipſe labores
Herculis expende, & ſeriem certo ordine longam
Agnoſces vitiorum; multis quae ille periclis
Dum ſuperat, decus emeruit, famamq; perennem.

Nae ma-

Nae magna eſt hominum ſocordia, delitiarum
Qui in medio poſiti, tantorum arcere furorem
Monſtrorum ſe poſſe putant, & degere vitam
Laudibus aeternis dignam. non talibus vnquam
Auſpicijs atrox ceſſiſſet bellua Lernæ,
Non ipſa Hippolyte, triplici non Cerberus ore.
Non igitur mirum, ſi ſerpere tanta per orbem
Portenta inſpicimus: rurſum ſimus occupat ampla
Augiae ſtabula, & ſceleris ſunt omnia plena.
Iam nemo rectas audit rationis habenas;
Verùm quò venter trahit, ac vitioſa libido,
Infraeni ferimur. falſis qui vocibus aures
Implerit vulgi, hunc plauſu turba excipit omnis,
Huncq; ducem ſequitur (ſi dijs placet) atq; ſacrorum
Doctorem auſcultat; ſanctorum at dogmata patrum,
Et priſcos ritus, & religionis honorem
Inuertens, geſtit quiduis patrare nefaſti.
Ac tibi ne videar ſatyram incoepiſſe, querendi haec
Iam finem faciam; quamuis tecum omnia fari
Auſim, nec te aliter credam ſentire: ſed vnde
Digreſſus noſter ſermo eſt, referatur eòdem.
Noſti igitur, quæ ſit potior mihi cura, laborq;,
Et quales, quantosq; hoſtes deuincere nitar,
Nec dulci ſine ſpe, vt victoria læta ſequatur
Viribus haud quaquam proprijs, aut artibus vllis
Fidentem, ſed ope excelſi rectoris olympi,
Illius, immenſo qui quondam tactus amore

Sedibus

Sedibus è ſummis oras deſcendit in imas
Terrarum, vt ſæui è manibus, vinclisq; Tyranni
Humanum genus eriperet, caeloq; referret.
Nunc tu quod poteris duris in rebus amico
Vel monitis, vel conſilio prodeſſe fideli,
Care BOVI, *abſenti longis perſcribe tabellis;*
Aut meditare (breui quoniam veniemus ad Vrbem)
Quæ ſuper his coràm iubeas ſermone diſerto:
Nam tua permagni facio dulciſsima verba,
Quippe ea, quæ puro noui de pectore prompta,
Vnde, & fucus abeſt, hominum deterrima peſtis.
Tum doctrina tibi, & probitas, & longior vſus
Plurima ſuppeditant, vt, quæ mala nauiter ipſe
Euitaſti, alijs poſsis iam ritè cauere.
Id verò inprimis te impensè oramus, vt aras
Quandocunq; Deo facturus ſacra ſubibis,
Illum ſuppliciter poſcas, ne nos ſinat vlla
Terreri hoſtili facie, ſed protegat alto
Auxilio, & noſtras dextro ſpes numine firmet.

Ad LAVRENTIVM IACOMINIVM TEBALDVCCIVM.

LAVRENTI, *inſolito quem pulcher Phoebus amore*
Diligit; & magnos cui iam deſignat honores:
Si rude purgatas hoc mittere carmen ad aures,
Et mea te abſentem audet compellare Thalia,
Ne tibi ſit mirum, ignotam nec deſpice muſam.

Quin

Quin magis hinc vires virtutum agnosce tuarum;
Quas non is tantùm, qui praesens spectat, & audit
Te, dulcesq; tuae numeros, cantusq; Camoenae,
Suspicit, & summis in Caelum laudibus effert;
Sed quicunq; tuas dotes fama excipit absens,
Te colit, ac miro tibi se deuincit amore.
Atq; equidem ipse tuum cum iam laetabar vbiq;
Ingenium, & mores vno laudarier ore:
Tum verò vt licuit te coràm cernere, & vnà
Affari: canam mentem iuuenilibus annis,
Verbaq; mirabar dulci perfusa lepore.
Inde subire animum tua saepius inclyta virtus,
Sicq; tuum nobis haerere in pectore nomen,
Vt non vlla vnquam delere obliuia possint.
Nunc te vnum hoc oro, quando interualla locorum
Visere te, & viuas voces audire vetabunt,
Vt me carminibus, tibi quae pulcherrima dictat
Cynthius, interdum digneis; si munere tanto
Virtutis species potis est me reddere dignum.

LAVRENTII IACOMINII TEBALDVCCII Ad ANTONIVM GIGANTEM.

QVIS superum tantum numen diuinitus ori
Afflauit? sacer hic spiritus vnde tibi?
O te felicem nimium, quem lumine vidit
Nascentem placido summus Apollo Deùm;
Exceptum gremio quem molli aluere fouentes,

Panden-

Pandenteſque iuga florea Pierides.
Virtutem cur ergo tuam ignotam eſſe vereris,
Abditam & in tenebris poſſe latere putas;
Si Dijs tam carus, clarum ſi nomen in omnes
Oras extendit candida Muſa tuum?
Mira ſcripta arte, & diuino ornata lepore
Carmina, cur nobis deſpiciendа times?
Cur quoque me inuitas, atque in certamina cantu
Non aequis dijs, nec viribus ipſe vocas?
Aequali curſu volitantem flamine curſum
Non valet heu premere cymbula littus amans.
Obſtant fata mihi, nullo Fortuna labori
Aſpirat, fautor nullus adeſtque Deus.
Lactauit mentem, falſa & deluſit Apollo
Spe, nunc neglectus perfuga reijcior;
Ni ille tuis precibus, nimio es cui carus amore,
Adductus, mihi nunc adſit, opemq; ferat.

In obitu PAVLI ROSSII Florentini, Militis Hieroſolymitani.

QVIS *triſtes Floræ lacrymas, quis deneget Arno?*
Dum tali inſignem natum probitate, bonisq;
Artibus extinctum flentes, hinc illa nitentem
Dilaniata comam, queſtus effundit in auras;
Hinc rauco ille gemit fremitu; voluitq; tumentes
Coniugis, & proprijs iam maior fletibus vndas?

Tu mihi Melpomene lugubres praecipe cantus,
Quos referam moeſtas magnae genitricis ad aures;
Nam largos dolor ipſe oculis, ac triſte feretrum
Sufficient luctus, nec non ſuſpiria reddet
Contactum molli pietatis imagine pectus.
Occidit ille quidem tibi flebilis ah pia mater,
Quandoquidem tantis, ac tot virtutibus auctum
Annorum ſeries vix longa reponet alumnum.
Hunc verò quanquam maturior abſtulit aetas,
Attamen vnus erat dignus, qui Neſtoris annos
Vinceret, aeternùm quando mortalibus aeuum
Fata negant, omnesq́ manet violentia mortis.
Vel tibi conſpectu ſaltem ſatiaſſet ocellos,
Quo ſors ante diu te defraudarat iniqua.
Verúm vbi poſt varios caſus, ac mille labores
Exceptum gremio tecum retinere putabas,
Illius & ſermone frui, & dulcedine muſae;
Letheae ex oculis ſubitò eripuere procellae,
Quò mage triſtis habet nunc te luctusq́, dolorq́.
Non tamen hoc ſolam te lamentabile funus
Angit; namq; tuos iam commiſerata dolores
Italia extremis longè deplorat ab oris.
Praeſertim quibus antè viri fuit inclyta virtus
Aut perſpecta domi, aut duri in certamine Martis:
Quiq́ illum viridi redimitum tempora lauro
Nouerunt Muſis, & Phoebo ſacra ferentem:
Abſentes animi calamo dant ſigna dolentis.

Ipſa

Ipſa etiam ſibi fortem equitem Melite Inſula ademptum,
Ingemit, haud ignara ſtylo quid poſſet, & armis.
Siue hæc infractis animis, & robore firmo
Tractaret, bello aſſuetus terraq́, mariq́;
Siue illum ignaui exerceret neſcius oci.
Vnde tot ingenij late monumenta per orbem
Diffuſa, ingentesq́ cientia carmina plauſus,
Et tuſco plectro, & fidibus modulata latinis.
Ergo per ora virum celebrem te, Paule, perennis
Fama feret: nam ſi immites fatalis Parcae
Fila ſecare tibi potuere; haud vlla valebunt
Saecla tuis vnquam tenebras obducere chartis.
Tu quoq; moeroris praeſens ſolamen habebis
Alma parens, quoties eius meditabere laudes,
Quosue tuis priſcis ſplendoribus auxit honores.
Quin age, ſi ſaeuum penitus lenire dolorem
Non refugis, quando precibus fata aſpera nullis
Flectuntur, clarum Roſsi per nomen, & oſſa,
Parce, precor, lacrymis, & vanas mitte querelas.
Nec potius nati te angat iactura perempti,
Quàm certa illius ſolentur gaudia, quae nunc
Iam tenet, aeternaq́ licet cum pace tenere.
Siue per Elysij campos, & amoena vireta
Inter felices animas laetiſsimus errat.
Seu iam caelum adijt, ſedes vbi firma Deorum,
Quae nunquàm ventis quatitur, non imbre madeſcit,
Non canis ardorem, non brumae frigora ſentit.

At purus ſemper ſine nube extenditur aer,
Perpetuoq́ dies illic ſplendore niteſcit.

De Villa Tuſculana Io. BAPTISTAE CAMPEGII, Epiſcopi Maioricen. In agro Bononien.

NVNC *humiles primùm conemur tollere verſus,*
Et noſtra aſſueſcat magnas intexere laudes
Pagina: ſume animũ, ac torporẽ expelle Tha-
Splendida CAMPEGI *dicamus rura beati.* (*lia,*
Rura humili quondam Saliceti nomine dicta,
Tuſculi ab auſpicio ſed nunc meliore vocata.
Multas illa quidem Italiae iam nota per Vrbes,
Ipſius & domini ſcriptis celebrata diſertis.
Non igitur rerum ambages, aut ficta ſequemur,
Omnia quin celebri referemus conſona famae.
Sed tam multa loci illius ornamenta recurrunt
Vnà animo, vt nequeat laudum ſeruarier ordo.
Temperies tamen inprimis, caelumq́ ſalubre
Laudetur: partim indicijs id Phoebus apertis
Arguit, exurgens tractu vel ſemper Eoo
Conſpicuus, vel rarò atra caligine ſeptus.
Partim etiam indigenae oſtendunt, qui robore firmo
Longaeui incedunt plures, viridiq́ ſenecta
Haud ceſſant duro terram exercere labore.
Nec minus illa adeat malè ſano corpore ſi quis
Rura, breui inualidas firmabit tempore vires,
Aut requiem planè inueniet, morbiq́ leuamen.

Tum

Tum matutinas aestiuis mensibus horas,
Atq; adeò medium Titan cùm feruidus axem
Inuehitur curru, lenis refrigerat aura.
Mox vber glebae, magniq; & fertilis agri
Cultum admirari libeat, quo haud laetior vllus
Felsineos intra fines versatur aratro.
Frugibus omnigenis hic magna explere quotannis
Horrea, & optatum potis est superare coloni.
Optima quin idem fert, & mollissima vina,
Vt vineta putes illic florere falerna.
Tot benè culta soli foecundi iugera paruus
Alluit haud rapidis, lemboq; ferentibus vndis
Rhenus, ad ingentes villae per commodus vsus:
Siue quid efferre inde libet, seu afferre necesse est,
Seu vicina iuuat quandoq; inuisere rura,
Plurima quae circùm latè ornant aequor amoenum,
Nobiliumq; opibus dominorum, & splendida cultu.
Praeterea squalos largè, cancrosq; rubentes,
Procerosq; lupos, & paruos sufficit, atqui
Molles pisciculos, & grati nempe saporis.
Ipsa etiam fluuialis aqua & perlucida currit,
Et bona (momenti quod non puto nullius esse)
Escas ardenti properè mollire camino,
Atq; per aestatem perfundere membra salubris.
Huc etiam accedit, quae laude est digna voluptas,
Quòd regio aucupijs adeò, & venatibus apta,
Innumeras pascit volucres: ibi Phasidis vndae

Nomen

Nomen auis referens, & Turtur amica pudori
Nidificant, ac turba auium infinita minorum.
Non ibi vel Perdix deeſt, vel peregrina Coturnix,
Et Merulae, Turdiq; ſuo ſtant tempore obeſi.
Praebet item Damis latebras, paſſimq; vagantes
Prata per, & cultos cernuntur ſaepius agros
Auriti lepores: varijs vt menſibus anni
Contingat, grato exercentem membra labore,
Accipitri, laqueis, cane, viſco, & retibus vti.
Nec tamen haec cum ſint ingentia commoda ruris,
Naturae proprio conceſſa, & munere Diuûm,
Non etiam inſignes magnam ars imitata parentem
Addidit ornatus. hinc eſt pomaria, & hortos
Conſpicere irriguos, ac multo flore nitentes,
Conſitaq; arboribus quadra, atq; ſalubribus herbis,
Et ducta egregiè in varias Topiaria formas.
Quorum ego ſi nitidam ſpeciem comprendere verſu
Eualeam, nihil aut fructu iucundius illis,
Pulchrius aut viſu ſperem me offerre legenti.
Saepius aſt eadem verba haec iterare decebit,
Singula nam miro fulgent concinna decore.
Magnam praeſertim Villam (an palatia dicam
Regia?) ſuſpiciens ſtupet, ac ſublimia tecta
Hoſpes, & aſpectu primo penetralia ſecum
Concipit ampla animo tacitus; verùm omnia longè
Maiora offendens oculis, miratur & alta
Atria, & atriola, atq; adiuncta cubicula, & oēs

Percu-

Percupidus partes ſuprà veſtigat, & infrà,
Cunctaq́ magnificis in caelum laudibus effert:
Et meritò: neq; enim ſurgit formoſior vlla,
Nec magè culta domus (liuor procul omnis abeſto)
Sapina quà pingues, Rhenusq́ interfluit agros.
Sed neq; mî calamo quamuis properante ſilenda
Pars erit inferior tecti, penitusq́ repoſta,
Vt ſatis vna domus ſpeciem praeſeferat amplae.
Multiplices vbi partitae ſunt nomina cellae,
Quae non vina modò, & ſeruanda cibaria condunt,
Seruorumq́ miniſterijs, ac vſibus aptae:
Verùm etiam quiuis in eas diuerterit hoſpes,
Perbellè exceptum ſe coràm dicet, & abſens.
Harum ad mundiciem ducta eſt ſpatioſa latentem
Subter humum via, quae rectà decurrit in amnem.
Illa pauimentis conſtrata, & fornice tecta
Perpetuo muris valìdis fulcitur vtrinq;,
Totaq́ vel largo Solis ſplendore niteſcit: (ptum.
Mirum ſanè opus, & grandi quondam ære redem-
It ſuperas iterum iam nos referamus in aedes,
Multa vbi praeterea laude attingenda ſuperſunt.
Praecipuè illa ingens altis ſuffulta columnis
Porticus, aſpectans boream, ſeptemq́ triones,
Mirificum praebet rapido tutamen ab aeſtu.
Hoc itidem interior celſa teſtudine, & amplis
Parietibus, latisq́ domus conſtructa feneſtris
Praeſtat, & egelidos ſic accipit, atq; remittit

Vento-

Ventorum flatus, vt protenus arceat omnem,
Vel ſinat haud aegrè rabiem tolerare leonis.
Sunt etiam medijs conclauia in aedibus omni
Vſqueadeò ſtrepitu, ac penitus ſemota ſuſurro,
Vt minimè inſomnes liceat traducere noctes.
Nec putei deſunt ingentes, atq; perennes
Dulcis aquae, & nitida murorum mole decori.
Tum verò latos liber proſpectus in agros
Miris quippe modis oculos & corda tuentum
Exhilarat, gelidas ſeu flectant lumina ad Arctos,
Siue ſe ad occaſum vertant, ſeu Solis ad ortum.
Ac frons illa domus, Auſtri quae vergit in oram,
Continuos colles, & celſas proſpicit arces
Vrbis Felſineae: via quò molliſſima quarto
E lapide inuectum ciſio deducit, equoue.
Quid calles memorem, & quos protegit vmbra receſſus,
Compitaq; apricos circum ſpectantia campos?
Aut quos concentus dulces aurora volucrum
Excitat exoriens, penè ipſo in limine tecti?
Quis verò dignè viuaria dixerit vnquam,
Quae magna in magno lymphis currentibus horto
Incluſos ſeruant piſces, accedere ad eſcam,
Atq; manum aſſuetos non exhorrere vocantis?
Illa autem magis hoc etiam miranda videntur
Nomine, vicini quòd aquas è fluminis alueo
Accipiunt iuges, longo reddente canali:
Villae ingens decus, atq; animo praedulce leuamen.

Stra-

Stragula veſtis item foret, ac pretioſa ſupellex
Dicenda, & quantus rebus nitor omnibus inſit:
Quà benè compoſitos exornant ſerica lectos,
Et conopæa egregio contexta labore.
Quàq; aulæa tegunt muros pendentia ad vnguem,
Argentoq́, auroq́, & vario diſtincta colore,
Qualia cernuntur Regum intrà tecta potentum:
Et quà perlepidis puluillis, atq; tapetis
Strata pauimenta, & ſellae, tripodesq́ renident.
Atqui ego non is ſum, innumeras qui carmine dotes
Enumerare velim, queis villa, & fundus abundant:
Nec ſi auſim, pulcher votis aſpiret Apollo.
Hoc ſit ſcire ſatis, longè pulcherrima adeſſe
Omnia, magnanimoq́ viro, & praediuite digna.
Non Parij lapides, fateor, non aenea ſigna,
Plurima quae Tybris forſan miratur, & Arnus,
Conſurgunt illic, aulasq́ & limina ſeruant.
Nec tamen ignoro, minimum quàm conferat vſum
Signorum ornatus, quò caetera prorſus abundè
Contulerit natura potens, atq; artis acumen:
Sed vice mutorum lapidum, rigidiq́ metalli,
Si quis eò accedat, quo tempore rura frequentat
Diues herus: virtute viros, omniq́ lepore
Praeſtantes, illic inter ſe docta ſerentes
Colloquia inueniet. tales nam ſemper amicos
Munifici bonitas CAMPEGI *abducit ab vrbe,*
Et nitida excipiunt lautis triclinia menſis.

Franc. Bolognetus Senat. Alberti Card. pater.
Carolus Sigonius.

Tunc Academiam potius, gratumq; Camoenis
Dixerit hoſpitium, quam villam ruris amoeni,
Praeſertim ſi aderit tum BOLOGNETVS, *& vnà*
SIGONIVS, *domino ante alios dilectus vterq;.*
Ille Senatores inter clariſſimus, idem
Eximio Phoebi vates inſignis honore.
Hic florente ſtylo latè monumenta per orbem
Diffundit, magni Ciceronis proxima ſcriptis.
Ipſum praecipuè dominum mirabitur inſtar
Numinis, ac illo inſpecto mage laetus abibit,
Quàm ſi cuncta ſimul ſit contemplatus ibidem
Marmora Praxitelis, famoſiq; aera Myronis.
Si verò audire illius doctiſſima verba
Contigerit; ſecli haud dubiè veſtigia priſci,
Atq; ſales mediis dignos agnoſcet Athenis.
Quanquam aliis etiam illuſtrem virtutibus omnes
Suſpiciuntq; virum, ac efferre ad ſidera certant,
Laude extollentes largae pia munera dextrae.
Sed quò me diuerſa rapis? iam deſine verſu
Garrire illepido. ſatis eſt vtcunq; Thalia
Haec calamo cuſum inſueto potuiſſe referre.
Forſan & hinc aliquis vel captus Tuſculi amore,
Vel certè in noſtris illud ſordeſcere chartis
Indignans, eius laudes ſibi ſcribere ſumet,
Et noua maiori ſociabit carmina plectro.
Atq; ita CAMPEGI *villam, nomenq; IOANNIS*
BAPTISTAE, *vt par eſt, longũ aeternabit in aeuũ.*

MAXIMAS

ANTONII RENERII Ad ANTONIVM GIGANTEM.

MAXIMAS *ago gratias merenti,*
Pares, quàm pote plurimum, paratus,
Si quando dederit Deus, referre
Antoni, tibi, qui lepore abundans
Pro multis mihi millibus fuisti.
Dum bonum bonus adiuuas, & omni
In re vis minima mea tueri
Me tuis opibus; mihique praesto
Spente adesse opera vel occupata,
Si dulcem potes adiuuare amicum.
Quem non incolumem videre tantùm,
Sed saluis quoque postulas honestum
Rebus, intereàque dignitati
Idem prospicis, & simul saluti.
Pro quo munere, dum mihi retentam
Hanc vitam superi volent, tui me
Promitto memorem vsque sic futurum,
Vt cum nemine conferendus ipse es
Aut candore animi, aut benignitate.

Ad ANTONIVM RENERIVM Collensem.

QVOD *rudis ingenij tenuem tam gratus opellam*
Prosequeris coràm verbis, & versibus absens:
Id mihi iucũdum (ingenuè tibi namq; fatebor)
Accidit, Antoni: sed eo non nomine, quò me,

Aut mea permagni faciam, vel laudibus esse
Sperem digna tuis. Verùm hoc optatius omni
Spe mihi contingit, quòd quà se prima facultas
Obtulit, obsequium nostrum, & propensa voluntas,
Re licet in minima, tibi vix inspecta probetur.
Sic equidem iam tum rebar, cùm fama tuarum
Virtutum, morumq; meas peruenit ad aures,
Ingenti dum te Pratum reuocaret amore:
Te fore, qui nostram longo torpore sepultam
Colloquio excires, & dulci carmine Musam.
Nunc igitur duce te interdum Parnasia tempe,
Castalijq; sacros audebo visere fontes,
Si lento comitem gressu opperiere sequentem.
Sin minus Aonios liceat me scandere montes,
Pieridumue choros accedere: te sacra Phoebi
Mystica sit saltem mihi fas audire docentem.

Ad ANTONIVM MARIAM BARDIVM Fabij filium.

O PATRE *egregio, fili dignissime, cuius*
Virtutem primis imitari assuescis ab annis:
Quàm nunc excipio lætanti pectore laudes
Praecocis ingenij, tibi quod natura benignè
Contulit, ingenuas & quod sic ipse per artes
Excolis, aetatem suprà, & felicibus ausis.
Nae tu maturè praestanti digna labore
Praemia percipies: primo cùm flore iuuentae

Aonij

Aonij emenſum te celſa cacumina montis
Inter Muſarum coetus formoſus Apollo
Siſtet, & optata praecinget tempora lauro.
Tum verò inſuetum miratus frontis honorem,
Et vigilem teſtam, & ſudores ſaepius actos
Laudabis, ſtimulosq́, memor, curamq́, parentis.
Tum bona Reneri mentem praecepta ſubibunt,
Quo duce tanta puer iam nunc & pulchra minaris.
Quare ego te, quamuis nil iam mõnitoris egere
Inſpiciam, dulci contactum laudis amore,
Carmine compellans, hoc vnum hortabor amanter.
Gnauus in incoeptos, Bardi, connitere curſus,
Et virtute nihil praeſtantius eſſe memento.

Ad PETRVM SPIGVM.

SAEPIVS haec eadem viua tibi voce parantem
Dicere, Spige, pudor non me deterruit vllus;
(Nã quid me pudeat cũ vera, tũ honeſta monẽtẽ?)
Sed differre tamen libuit, ne dedita nugis
Mens tua iampridem noſtros minus aure ſecunda
Audiret monitus, & ego impendiſſe laborem
Triſtarer fruſtrà, ſecus ac ſuccedere vellem.
Verùm vbi te ſegnis (quàm nollem) continet aegrum
Nunc quartana domi; ſandi mage mollia nactum
Tempora me reor, omnia cùm te ludicra cernam
Exoſum, et penitus curam hanc incumbere in vnam,
Vt longam expellas languenti corpore febrim.

Iuſta

Iusta quidem res est, vt cures corpus, at ipsum
Vnà animum curare decet, verùm artibus illud
Subijcies medicis, nostra hic praecepta sequatur:
Audi igitur. Quintus iam circum voluitur annus,
Ex quo grammaticae vtilibus nauare libellis
Te noui. interea doctor non defuit vnquam.
Ipsa etiam natura tibi (quae maxima dos est)
Ingenium dedit & facile, & memor. adde quòd ipse
Antistes, caelo verè demissus ab alto,
Beccatellus adest, quem religionis amore
Ardentem haud puduit munus subijsse magistri.
Hic pro te, socijsq; tuis quid fecerit, & quam
Gesserit assiduus curam, scis ipse, scit omne
Vulgus, vicina & nouerunt oppida circùm.
At quoniam tecum sermo est, & te alloquor vnum,
Tu mihi dic, toto quidnam profeceris isto
Tempore, quiue exstet fructus. num docta Maronis
Carmina, num Flacci retines? at reddere plura
Te memini dudum. num qua haeret epistola Tulli
Nunc animo? num metri leges? num qua Terenti
Fabula? nam cuncta haec rectè memor antè tenebas.
Quid retices? nescire putas ea turpe fateri?
Ingenuè prorsus sentis: sed turpius esse
Multò crede diu si amissa reposcere differs.
Hic tibi perfacilis labor est, & mensibus omnem
Iacturam paucis penitus sarcire licebit,
Saepius, atq; etiam attentè intermissa legendo.

Et sanè

Et ſanè hoc aliquid fuerit, ſed non tamen omne,
Vlterius quoniam te extendere coepta decebit.
Namq; velim, totis vt iam nunc viribus aliae
Fundamenta domus iacias, quam deinde videbis
Surgere paulatim exiguo cogente labore,
Ac per ſe tandem contingere culmine caelum.
An praeſtare potis non eſt hoc aurea virtus,
Scilicet vt feriat mortalis ſidera vertex,
Quem Phoebi chorus aeterno donarit honore?
Nunc igitur totum ſtudijs te dede, bonisq;
Moribus, & certam rationem delige vitae,
Quam mox iucundam reddet tibi leniter vſus.
Plurima dediſcant oculi, & melioribus aures
Aſſueſcant verbis, ſociosq; require fideles,
Et tactus pariter ſtudij, ac pietatis amore.
Nunc ver aetatis tibi ridet, ſe ſine multos
Induat in flores animus, quo frugibus aeſtas
Te ditet magnis, & dulcia poma reponat
Autumnus, longos vt viuas lautus in annos.
Illecebris (fateor) multis malè ſuada voluptas
Obſtat, & irretit durè, curſumq; retardat.
Tu vero hanc contrà contende audacibus auſis,
Et tibi in auxilium caeleſtia numina p ſce;
Namq; aderunt nuſquam, quoties ea ritè vocabis.
Ac ne iter ignarus peragas, dubiusq; vageris,
Renerum ſectare ducem, ſectare magiſtrum.
Renerum, mihi quem probitas, doctrina, leporq;

Dulcis

Dulcis amicitiae vinclo iunxere perenni;
Et quo non alibi, credo, mage idoneus alter
Gymnaſium Hetruſcis aperit praeceptor in oris.
Hunc ſequere aſſiduus, lateriq; volentis adhaere.
Nec benè currentem illa leuis te cura moretur,
Quòd fortè aequaeuiſic te diuerſa ſequentes
Illudent olim; quis hic? & quid tanta repentè
Vult grauitas ſibi? quid pariet nouus impetus iſte
Diſcendi? en ſophus, en ſenij qui praeuenit annos.
Talia nugaci quidam iactare ſuſurro
Audebunt, illos aſt inſanire libenter
Ipſe ſinas, & certus iter Dijs perge ſecundis.
Non eadem obijcient, virtus quibus inclyta cordi eſt,
Quorum laudato cúm quis laudatur ab ore,
Compita nequicquam nebulo latratibus implet.
Geſtiet hinc magna genitrix Smeralda, paterq;
Lapus laetitia. hinc fratres, & aui, atq; propinqui
Omnes, hincq; boni tibi gratabuntur amici.
Certior ipſe etiam factus quandoque Ioannes
Franciſcus patruus, mirè laetabitur abſens.
Quem tibi prae multis par eſt imitarier vnum.
Namque ille indicijs (ne longè exempla petamus)
Quas virtus habeat vires, oſtendit apertis,
Quandoquidem eius ope eximium nomenq;, decusq;
Vel ſibi, vel patriae externis venatur in oris.
Illius & placidi hortatus, mandataq; mentem
Vſque tibi ſubeant, noſtris non abſona dictis.

Haec

Haec habui, quae te curſim, mi Petre, monerem,
Atqui ea nunc animo ſatis eſt meditere quieto,
Corpore ſed gnauus mox ingrediare valenti.
Ergò age ſi à monitis tua ſtat ſententia noſtris,
Cùm iam tempus erit, maturis argue factis.

Ad HENRICVM OMBELAETVM Lingonenſem Gallum.

O GALLI ſuaues cantus, & amabile carmen,
Quod tam dulce meis virò ſeſe auribus offert,
Vt ſegnem è longo excierit torpore Thaliam.
Hinc decet eximias virtutis cernere vires;
Quandoquidem ipſe tuae captus dulcedine muſae,
Aduenam, et abſentem, vix dum mihi nomine notum,
Henrice, ingenti iam te complector amore.
Quin etiam magis ipſe libens hoc nomine poſthac
Felſineos colles, & prata Albina reuiſam,
Vt coràm viuis te vocibus alloquar, & te
Excipiam, genus, & patriam, ac tua fata docentem.
Me quoque tum genti Becatellae pluribus eſſe
Noueris obſtrictum meritis: namq; omnia gratus
Huic refero accepta, & ſemper debere fatebor.
Interea pueros, quorum tibi credita cura eſt,
Excole, vt adueniens patruus te multa magiſtro
Gaudeat edoctos circumſpexiſſe nepotes.
At me crede tui cupidum, & virtutis amantem.

ANTONII RENERII Ad ANTONIVM GIGANTEM.

SCIRE aueo, Antoni mi oculis propè carior ipſis,
Quid tibi poſt aliquas hyemes ſit Felſina viſa,
Quoue tuum plauſu reditum gratentur amici,
Vtque ijdem ſoleant te circumſtare frequentes.
Vt Beccatelli iuuenes, pulcherrima proles,
Pendentes adeant ad te recitantis ab ore,
Quot tibi muſaeo dicta ſent condita lepore
Carmina Pierides faciles, & dexter Apollo,
Dum tu abes interea, longè diſiunctus ab illis.
Viſerit an ne etiam Campegi rura beata,
Quae verſu exornas incana in ſaecula digno
Viuere, perpetuò docta vt manus atterat illum,
Te manifeſta fides hominem excepiſſe libentem,
Et legiſſe auidum, tibi quae conſcripta politè
Ornaſti lepidis, & non ſine pondere verbis.
Tullius vt valeat, cupio quoque noſcere, vt alto
Deferat ex Helicone virenti fronde coronam,
Imponatq; ſibi ille, animae pars altera noſtrae,
Vtrum Maeonio, an Siculo tibi digna Poeta,
Aeolioue magis recitarit carmina, vt ipſe
Reddideris contra ſuaui contexta labore,
Rarò audita, neque exactis diſtantia quicquam.
Nanque ego vtrũque mei cupidũ volo, et arbitror eſſe,
Et memorem, dum non humili ſermone trahetis
Saepe moras, modò Graiorum, modò ſcripta Latina

Tractantes

Tractantes variè, & miſcentes ſeria ludo,
His adde, an ſaluere meo quoque nomine iuſſum
Torſeninum hominem viſas doctumq́, bonumq́.
Quamque diu tenuere tui te rura patroni,
Cui tecum optarim potius me viuere charum,
Quàm ditis Priami florentia regna tenentem
Clara beatorum virtus numero eximat omni.
Haec ego, docte Gigas, cupio mihi cuncta referri
Carmine, dum tu aberis, coramq́, vt veneris, ore.
Si me fortè petis de rebus ſcribere noſtris,
Narro tibi. Mea poſt confecta negotia, ſolus
Ipſe domum repeto, atque illic puerilia tracto
Quinctilio praeſente meo, qui diſcere nuper
Prima elementa auidus, coepit ſignare figuras,
Monſtrarique ſibi rationem ex ordine poſcit.
Nanque, abſente mei, te iudice carminis, vnquam
Vix aptare modos fidibus datur, auſpice Phoebo.
Et Bonamicus abeſt, & rure domeſtica tractans,
Octauo vix quoque die ſolet ille reuerti.
Atque Ingiramum populis dare iura profectum
Scis peregrè; ipſe tui memor eſt tamen, atque patroni,
A quo crebrò venit Epiſtola, vtrumque ſalutans,
Per fora, perque vias, comitem me, et cõpita circum
Accipiunt Fabiusq́, & Perondinus amici.
Colloquijs Vari, quauis ratione probati,
Ne fruar, impediunt anni, & mea decolor aetas.
In fano Andreas doctis ſermonibus aures

Imbuit, atque domi, cumque illo Perſius ore
Nos placido mulcet, rapido cum ſoluimur aeſtu.
Me tibi mane domi dictante haec, ipſa paratur,
Hoſpitem vt excipiat, quem cras de more videbo
Adfore, vt expoſitas merces ſibi comparet, atque
Miretur numerum populorum, & ſtrata viarum,
Et quaecumque animos pertentant gaudia vulgi.

Ad ANTONIVM RENERIVM.

ALBINI laeto iamdudum in colle morantem
Me iuuat, ANTONI, lentae indulgere quieti,
Et paulùm dulces intermiſiſſe libellos,
Nec non ipſi etiam inuitae dixiſſe Thaliae,
Muſa vale, aut mecum tibi ſi quoq; rure libebit
Degere, me interea calamo ſine parcere inerti.
Otia vt haec animo multùm exoptata, diuq́,
Deguſtem, minimo non interrupta labore.
Sic ego; at illa mihi non ſurdas praebuit aures:
Quanquam ò ſegnitia ne me torpeſcere tanta
Indignata, meos fruſtretur deinde vocatus.
Nunc certè cùm longa tibi reſponſa pararem
Reddere, vix pauca haec dignata eſt promere verba.
Quare ea, quae dulci, ac lepido me carmine poſcis,
Vt tibi ſignificem, RENERI, verſibus abſens,
Ne quaeſo in noſtrum reditum differre graueris.
Omnia nam melius poteris tunc noſcere coràm,
Atq; ita te malè culta minus mea pagina laedet.

Nunc

Nunc tantùm id ſcito, benè nobis eſſe: patronus
Et valet, & veſtri memor eſt: me nulla quietum
Cura hic ſolicitat, niſi quae mihi ſurgit in horas,
Vt te quamprimùm viſam, carosq; ſodales.
Ipſe etiam vt valeas, connitere: QVINCTILIVMQ.
Cuius ego ex ſcriptum laudo, cuiusq; venuſti
Gratulor ingenij ſpecimen tibi, nomine noſtro
Dulci ſuauiolo, & multa impertire ſalute.

Ad ATTILIVM RENERIVM Antonij F.

CVR te fraterno, Attili, amplexarer amore (illo
Cauſſa erat vna quidē dudum permagna, quòd
Eſſes patre ſatus, quo non mihi carior vſquam
Ante fuit, nec erit poſt forſan amicior alter:
Quemq; ego, quòd me annis longè et virtutibus anteit,
Diligo, & ex animo quaſi dulcem obſeruo parentem.
Nunc verò ſimulac culta & lepidiſſima legi
Carmina, mirificè queis me tot laudibus effers,
Quot prorſus deceat magnum exornare poetam:
Ob meritum te nempe tuum, ingenijq; leporem
Cogor amare, tibi & totum deferre libenter,
Quicquid opis noſtrae eſt tenui in virtute Camoenae.
Ac quoniam coeptis tam dextro numine Phoebum
Cernis adeſſe tuis, nec docti ſedula patris
Cura, nec ingenium tibi deeſt, nec carminis vſus;
Perge libens, te iure illum vt laeteris adeptum,

Quo,

Quo, licet indignum, nunc me dignaris honore.
Et dum plura tibi fert commoda tempus, & aetas,
Te iuuet in ſtudijs omnes intendere neruos,
Ocyus vt ſacra Parnaßi in ſede quieſcas,
Laureaq; exactos compenſet laeta labores.

Ad IOANNEM RONDINELLVM Alexandri F.

TE noſtras dudum reor expectare tabellas,
Vel me ipſum potius, praeſertim octobre monente
Vt te promiſſi memor, ac Pratenſe reuiſam
Perpetuò mihi dulce ſolum, carosq; ſodales.
Verùm vbi me patria redeuntem docta recepit
Felſina, tot ſimul importuna negocia curis
Implicuere animum, quòd ſpe iam prorſus ab omni,
Compoſito Hetruſcos adeundi tempore colles,
Deſtituor. dices, quid ſi vnus finiat illa,
Aut alter menſis? ceſſabit cauſſa morandi?
Non ego crediderim, me, RONDINELLE, futurum
Dijs adeò inuiſum, vt quod peius morte laboro
Euitare malum, curarum nempe procellas,
Confectum me eodem patiantur longius iri.
Sed neq; tunc valeam promiſſis ſtare. niuali
Aggere triſtis hyems iam circumſepiet alpes:
Te quoq; Praetura defunctum regia magni
Principis excipiet, ciuilia munia obibis,
Docto Academiae procerum ſermone frueris,

Aut,

Aut, quae mox illi mirentur, acumine ſummi
Ingenij meditaberis. atq; ita forſitan illa,
Qua tua me bonitas modò conſuetudine dulci
Dignabat Prati, Florentia non ſinat vti:
Te ſeruante quidem mentem in nos vſq; benignam,
Aſt aliter rerum vrbana ratione ferente.
Non tamen idcirco tempeſtas mollior anni
Carpere iter cùm me ſuadebit, & ocia poſcent,
Non te conueniam, & laetus tua tecta ſubibo.
Quin haec praecipua eſt cordi, mihi crede, cupido;
Nec quicquam meminiſſe iuuat iucundius horis,
Queis peragrans hortos, & aprica ſuburbia tecum
Suauibus alloquijs luctus ſolabar amaros,
Et deſiderium abſumpti tum morte patroni.
Quid verò ante focum cùm nos quandoq; ſedentes
Seria multa iocis permiſcebamus honeſtis?
Quid cùm priſca legens, tua vel certantia priſcis,
Scripta Hetruſcorum reſonabas ore rotundo?
Grata quidem hìc animo, fateor, ſolatia praebent
Vrbis gymnaſium, clarorum & amica virorum
Colloquia, haud deſunt hilares, lepidiq; ſodales;
Attamen ille libens ad te perſaepe recurrit,
Te ſpectat, te audit, tibi, eum ſi cernere poſſis,
It comes aſsiduè; ſic captus amore tuarum
Virtutum nequit abs te iam diuellier vnquam.
Ille etiam nunc, quando graui me compede vinctum
Vltrà Appennini iuga recto tramite ſecum

Haud

Haud valuit traxisse, silentia rumpere longa,
Et paucos ad te versus hos mittere iussit.
Quos desueta diu calamum tractare Thalia,
Nomini amica tuo, mihi non inuita roganti
Dictabat, dum me rus inuitaret amoenum
Curis, & rebus cessare parumper agendis.

Ad CAROLVM SIGONIVM

MVNERIS historiae finem laetumq́, bonumq́,
Gratulor hoc primũ tibi nomine, docte Sigoni,
Quòd mẽtem assiduo explicitã, lõgoq́, labore,
Post modò amicorum congressibus, atq; lepòre
Sermonum, & grato conspectu ruris aprici
Liberius solito interdum recreare licebit.
Quin & corporeae haud firmo sat robore vires
Id poscunt, primaeq́ aetas vicina senectae,
Scilicet vt vehemens studium, vigilesq́, lucernas
Seponas paulùm, saluusq́, & laetus amicis,
Et tibi iam viuas: nostrum quo longius aeuum
Sic florente stylo exornes, ac voce superstes,
Vt tua perpetuò mortales scripta iuuabunt.
Deinde tibi ex animo laetor, quòd gloria tanta
Hinc te consequitur, quantam non audeat vllus
Concepisse quidem votis hoc tempore scriptor.
Namq; ea quo possent maiore volumina plausu
Certatim Italicis, externisq́, excipi in oris,
Floret vbi cultus linguae, studiumq́, latinae?

Quae

Quas omnes veluti immenſum reſonare theatrum
Audimus Caroli laudes, nomenq; Sigoni.
Nobilium verò Procerum potes ipſe, virùmq;
Clarorum planè innumeras proferre tabellas,
Teſtantes quanti ſias, & qualis vbique
Virtutis ſit fama tuae, atq; vt numinis inſtar
Deniq; te quisquis praeſens veneretur, & abſens.
Docta quidem monumenta tui iam multa per orbem
Manarunt, ſummaq; tua cum laude leguntur:
Aſt opus hoc inſigne recens quo maius ab omni
Parte animi praefert ſtudium, ingenijq; laborem,
Hoc magis ingentem decoris ſuper addit aceruum.
Quin etiam vlla tibi penitus ne praemia deſint
Digna tuis meritis; ecce illuſtriſſimus ille
Indole diuina, & clara virtute IACOBVS — IACOBVS Boncompagnius Sorae Dux
Te ſponte officijs, & grandi munerat auro,
Magnorum exaequans animos, & munera regum:
Hoc vno dignus facto, quem florida paſſim
Ingenia, & linguae, calamiq;, & plectra celebrent.
Quanquam mille modis alijs, atq; artibus altam
Materiam praebet laudum, ſeu ſtrenuus armis
Tutatur fines Romanos, ac vigil arces
Inuiſit, ſummo ſeu magna negocia tractat
Conſilio, ſeu dat populis reſponſa benignè:
Siue ille impatiens fruſtrà diſperdere tempus,
Ingenuo exercet nunc fortia membra labore,
Nunc animum ſtudio recreat, doctiſq; libellis.

Quare etiam hinc laetor, iuuenis quòd gratia tanti
Te foueat, nec non donis, & honoribus ornet.
Tu verò virtute tua, eximioq; fauore
Praesentis secli, ac venturi laude perenni
Gaude vel meritò, vir praestantissime, cuius
Nunc opera effecit, multos vt quae ante per annos
Italia in densis languebat mersa tenebris,
Viuida iam superas se tollere possit ad auras,
Ac mereat tandem verè illustrata vocari.

Ad HIERONYMVM BONCOMPAGNIVM GREGORII XIII Fratris filium.

NON *mea te idcirco audet compellare Thalia,*
Versibus vt speret, iuuenis clarissime, laudes
Posse augere tuas, seu quà patrui inclyta ma-
Gloria te insigni decorat splendore nepotem, (gni
Seu quà animi proprijs virtutibus ipse refulges:
Nec tibi vt agresti cantu permulceat aures,
Nobilium assuetas audire poemata vatum.
Sed mentis meriti memoris, grataeq; datura
Indicium, haec humilis sublimia tecta subiuit,
Ingentes imo persoluens pectore grates.
Miraris (credo) & quis sim fortasse requiris,
Et quo nam tibi deuinctum me nomine dicam.
Atqui tot laudum non haec postrema tuarum est,
Iuuisse ignotos etiam: tam multa benignè
Officia impertire soles oratus, & vltrò.

Ne

Ille ego ſum, affinem cuius Beroia prudens
Foemina iamdudum tibi commendabat, ad Vrbem,
Atq; tui ad ſacrum conſpectum fratris euntem.
Quem tu propitijs voluiſti ornare tabellis.
Nunc ergò ille abſens mecum pro munere tali,
Quicquid opis noſtrae eſt, totum tibi deuouet vni,
Ac vni addictus tibi viuet vbiq; locorum.
Ipſe autem, cupidus quamuis ignobilis oci,
Deſuetusq; diu ſtudia exercere clientis:
Attamen (ò vtinam merear) iam ſponte Patronum
Te mihi delegi, illuſtris Hieronyme, & omne
Iam nunc obſequium tibi defero promptus, & ipſam,
Qualis erit, Muſam, ni dedignaberis vti.

Ioſephus Ludouicius Aſſiſias Iuriſconſ. Gineura Auguſtini Beroi Iuriſconſ. clariſs. vxor. Philippus Card. S. Sixti.

AD IOANNEM RONDINELLVM Alexandri filium. In Librum Antonij Panormitæ de dictis, & factis Alphonſi Regis Aragonum.

PRINCIPIS exemplar, qualem caeleſtia rarò
Numina concedunt terris, hoc arte libello
Depictum egregia, mi Rondinelle, videbis.
Ac quanquam per te potis es (quae plurima rerum
Eſt tibi cognitio, ingenijq; feracis acumen)
Singula nedum oculis peruestigare, ſed alta
Mente operis ſummam, atq; omnes expendere partes:
Pauca tamen, quae nos animo tibi prorſus amico,
Carminibus licet incomptis; praeludimus, audi.
Magnanimi Alphonſi illius, qui primus Iberae

Florida Parthenopes ditioni regna ſubegit,
Hîc tibi cernere erit tum bello fortia facta,
Tum praeclara domi ſtudia, atq; illuſtria dicta:
Vſque adeò vt tantis, ac tot virtutibus aucto
Non auſis illi quenquam praeferre virorum.
Graecia quos ſummis euexit laudibus olim,
Aut quos Roma potens diuino ornauit honore.
Quin etiam in multis alijs quodcunq; probari
Comperies dignum, vel priſca volumina voluens,
Vel noua, in Alphonſo id totum miraberis vno.
Atqui difficile eſt dignoſcere, qua magis in re
Excellat, ſic parte idem eſt perfectus ab omni.
Conſilijs magnum, atq; animo, dextraq; valenti
Cùm cernes illum ſummè tractare ferocis
Durum Martis opus, totumq; incumbere in arma;
Tum quoq; Muſarum alloquijs praebere benignas
Aures, & Sophiam inſpicies admittere caſtris.
Vt non tam regem ducibus, validiſq; maniplis
Inſtructum agnoſcas, quàm praefulgente corona
Clarorum doctrina hominum, queis pluribus illa
Floruit in ſummum tanti aetas regis honorem.
Quorum non vlli ingenio, aut candore Camoenae
Ceſſit, ni potius cunctos Antonius anteit,
Alphonſo certè ante omnes gratiſſimus ipſi.
Ille hunc florentemq; ſtylo, rerumq; lepore
Inſignem ſcripſit librum, aut ſi dicere malim,
Et ſtudia, & mores, & mentem principe dignam,

Qui

Qui virtute alijs aequè, ac diademate praeſtet,
Ad veram hiſtoriam his chartis expreſſit ad vnguem.
Quod ſi ſcire libet (me nanq; referre iuuabit)
Vnde Panormitae cognomen contigit illi,
Accipe. bis centum & triginta circiter annis
Felſinea tum diſſidijs ciuilibus vrbe
Cedentes quidam Becatella è gente, Panormum
Poſt varios caſus tandem applicuere, breuiq;
Aucti diuitijs, & multa prole nepotum,
Illic manſuraſq; domos, ſedesq; locarunt.
Atqui priſca quidem tenuere inſignia gentis,
Sed patrium dedit ijs illuſtre Bononia nomen.
Progenie ex illa hic quondam eſt Antonius ortus,
Cui, ſimulac Italis florere incoepit in oris,
Indidit ad proprium famae decus ipſa Panormus
Cognomen, quo deinde aeuo clareret in omni.
Propoſitam fortaſſe tibi exceſſiſſe videbor
Materiam; ſed me pietas, qua proſequar vſq;
De benè me meriti manes, atq; oſſa patroni.
Haec vtcunq; tibi nunc commemorare coegit,
Vt ſaltem illius gentilem his laudibus ornem.
Verùm ex Alphonſi innumeris virtutibus vnam,
Quam magis illuſtrem eſſe rear, iam dicere paucis
Aggrediar, cunctas quoniam comprendere verſu
Non cuiuis facile eſt: me verò hinc plurima terret
Congeries rerum, hinc ſibi conſcia Muſa retardat.
Si virtus igitur longè optima dicitur illa,

Cuius

Cuius finis erit praestantior, an ne erit vlla
Dignior in superos pietate, ac mente benigna
In genus humanum, & populos ditione subactos?
Caelitibus certè nihil, aut mortalibus ipsis
Gratius hac fuerit, nec quenquam gloria maior
Consequitur, nec tuta magis via ducit ad astra,
Quàm qui promptè omnes possitq́, velitq́ iuuare.
Hanc autem ille adeò egregiè, sanctèq; colebat,
Eius vt ad normam curas, atq; omnia facta,
Verbaq́ dirigeret, quin prae nil duceret illa
Regna, & opes. hinc ille animus tam mitis in hostes,
In sibi subiectos clemens, inopemq́ popellum,
Fortis in aduersis rebus, constansq́ secundis.
Quid memorem sacras vi captis vrbibus aedes,
Securum victis ac inuiolabile Asylum,
Seruatas? vel quid tutantia iussa pudorem
Foemineum, victor miles cùm scanderet arces?
Munera quid referam templis oblata, virisq́,
Virginibusq́ Deo sacris? ò saecula verè
Aurea, quae talem meruerunt cernere regem.
Nimirum illa fidem hinc veterum sententia certam
Acquirit fore quae censet tunc regna beata,
Eximiae cultor Sophiae cùm sceptra teneret.
Adde etiam, veræ si religionis amore
Perpetuo flagrans diuina volumina verset,
Scrutetuŕq Dei legem, & praecepta facessat.
Qualem Regem illum haec testantur scripta fuisse,

Innu-

Innumerisq; alijs monumentis ſulta per omnes
Magni orbis partes iampridem fama celebrat.
Et dubitet magni Alphonſi veſtigia quiſquam
Tam praeclara ſequi, ſi vera eſt gloria cordi,
Virtusq;, & pietas? Sed te iam demoror vltrà,
Quàm ſatis eſt, ipſos auidè percurrere libros,
Et viuo lymphas haurire è fonte nitentes,
Iandudum cupientem. En accipe, perlege, vt ipſum
Auctoris nomen ſaltem quandoq; legendo
Noſtri etiam faciat memorem te nominis eſſe.

Ad GABRIELEM PALAEOTVM Card. Ampliſs. et Bonon. Archiepiſcopum.

FLAMINIAE *dū nuper agros, Pater optime, & vrbes*
Me tranſire iubet Patriae, caraeq; parentis
Dulcis amor; licet interdum via longa, laborq;
Taedia ſuaderent animo, curasq; moleſtas,
Cum comes haud vllus, nedum facundus adeſſet:
Ipſe tamen contrà nitens mihi laeta ſubinde
Plurima fingebam tacitus. nunc matris imago,
Et tremulae occurſus ſubit, atq; in colla ruentis,
Multaq; ſcitari, nec non audire parantis.
Nunc tot ſacrorum myſteria magna dierum
Mente pia, & celebris meditor ſolennia Paſchae:
Quantum me rudis ingenij imbecillibus alis
Tollere humo, & ſacra rimari caeleſtia poſſum.
Ipſa etiam tellus herbis ornata nouellis,

Et

Et florum vario paſſim diſtincta colore,
Iucundo mihi proſpectu exhilarabat ocellos.
Illis praeſertim Phoebo ſine nube diebus
Fulgente, atq; aura lenis ſpirante Fauoni.
Nec nulla hinc animus libauit pabula, laetam
Admirans terrae faciem, caeliq; nitorem:
Omnia quae pridem glacie foedarat, & imbri
Triſtis hyems: ſimul & Regem venerabar olympi,
Qui rerum vice perpetua ſic temperat orbem.

Ludouicus Galiardus Societatis Ixsv.

Saepe audita recens GALIARDI *patris ab ore*
(Quàm vellem inde modò, ac ſemper pendere liceret)
Commemorare iuuat: verbis quàm multa diſertis
Arcana explicuit: quàm fortiter impia facta,
Impurosq; hominum mores damnauit, & acri
Sermone increpuit: quàm molli, quàmq; benigna
Suadela vitam exoſos ignauiter actam
Fouit, & infernis è faucibus eruit orci.
Tu quoq; tunc animo nobis, Ampliſſime Praeſul,
Saepius occurrens, caeleſtis numinis inſtar,
Lenibas iter, atq; vagae faſtidia mentis;
Cernere dum videor te ſacris manè peractis
In templo aſſiduum GALIARDO *aſtare docenti,*
Moxq; pium in populum ſacratã extendere dextram,
Verùm haec laetanti mecum dum corde voluto,
Exorta eſt ſubitò, meq; acris cura momordit;
Quòd te diſcedens inuiſere nuper omiſi,
Aut non nulla humilis ſaltem dare ſigna clientis:

Quòdq;

Quòdq; aliàs etiam, agreſti tardante pudore,
Huic ego defuerim officio: cùm tu tamen vltrò
Me ſemper (tua quae bonitas eſt plurima in omnes)
Alliceres dulci alloquio, vultuq; benigno.
Scilicet hoc vnum mihi erat meminiſſe moleſtum,
Moerentemq; animum haud alia ratione valebam
Solari, niſi ſpe veniae; quam, noſtra fatendo
Errata, audemus malè culto poſcere verſu.
Namq; mea, Antiſtes magne, hoc te nomine Muſa
Compellat, quamuis abſens ſuffuſa rubore.
Aſt ò ne nimium longis ambagibus aures
Laeſerit, & culpam imprudens cumulauerit: at tu
Largius indulgens hanc & dimitte precanti.
Quin patere, vt iam nunc venia laetatus adepta,
Ac ſtimulo ceſſante, fruar patriaq;, meisq;,
Conficiam & quod reſtat iter iucundius, & iam
Ne dubitem rediens te tanquam emanſor adire.
Sic Deus omnipotens tua ſemper vota ſecundet,
Et tibi (cuncta gregi vt contingant proſpera) Moſis
Corporis, atq; animi vires concedat, & annos.
Foroſempronij. MDXXC.

Ad LVDOVICVM BECCATELLVM Raguſinorum Archiepiſcopum, ac Præpoſitum Pratenſem nomine Clericorum Collegij.

PRAEMIA *Rex caeli, ac terrae tibi digna rependat*
Pro tantis meritis, Praeſes ſanctiſsime: namq;

Haud opis eſt noſtrae vel paruas ſoluere grates,
Cùm penitus vires deſint, & copia fandi.
Næ tua miranda eſt pietas, quæ parcere nullis
Te ſinit impenſis, nullisuè laboribus; vt nos
Iampridem ſegnes agroſ, atq; horrida teſqua
Virtute expolias, & caſtis moribus ornes,
Ac magno incendas verae pietatis amore.
O vtinam tibi maturos tua cultio fructus
Reddat, & immenſo frugum te ditet aceruo,
Ne tot poeniteat fruſtra impendiſſe labores.
Sed tamen æternùm benefacti gloria tanti
Te manet. ingenuè paruiq; fatemur, & ampli,
Nos debere tibi. non obliuiſcier vnquam
Mens poterit ſanctos monitus, atq; aurea verba,
Nec tuus è noſtro dilabi pectore vultus.
Quin etiam haec laeto dum gramine prata vireſcent,
Paruus & ingenti Biſentius influet Arno,
Virg.Egl.v. *Semper honos, nomenq; tuum, laudesq; manebunt.*

Ad eundem eorundem nomine.

ANNVE *ſupplicibus, Praeſes ſanctiſsime, et ore*
Nos placido intúere, ac humiles ne deſpice voces,
Dum veniam petimus miſeri, atq; errata fate-
Iandudum meritò noſtris iraſcere culpis, (mur.
Et duro increpitas noxam ſermone, miniſq;.
Hinc poena, hinc facti pauidos mens conſcia terret.
At non vlla animum iam maior cura, doloruè

Soli-

Solicitat, tua quàm à nobis cùm lumina flectis,
Et ſtomachum praebes contracta in fronte legendum.
Quare age moeroris iam te miſereſcere noſtri
Ne pigeat: ne ſperne preces, ne ſperne precantes.
Iam pietas animum ſubeat, iam flectere votis,
Pone iras, mitemq; magis, Pater, indue mentem.
Aut ſi te impunè id non exorare valemus,
Non vllis nos verberibus, vinclisq; negamus;
Dum tamen errati ducant obliuia poenae,
Ac te ipſum nobis reddas velut ante benignum.
Torpentesq; leuent animos tua dulcia verba,
Et tandem obductas nubes frons laeta ſerenet.

Ad IACOBVM BILLIVM PRVNAEVM, S. Michaelis in Eremo Abbatem.

QVANTI te faciam, BILLI clariſſime, nomen
Vtq; tuũ venerer iampridem, atq; aurea ſcripta;
Plenius, ac melius referentem audire licebit
CVRTERIVM, quàm ſi verbis id pluribus ipſe
Conando, doctas nimium tibi demorer aures.
Namq; vt praeſtanti ingenio, ſic ille peracri
Iudicio valet, atq; mei benè pectoris imos
Luſtrauit ſenſus, cùm de te ſaepe loquentem
Excepit praeſens: quin omnem non modò nouit
Cultum in te noſtrum, ſtudiumq;, ſed amplius auxit.
Dum BILLAE gentis claros enarrat honores,
Seu qua nobilium inſignit vos ſplendor auorum,

Militiaeq́, domiq́, armis, opibusq́ potentum:
Seu qua quisq; sibi virtutum laude suarum,
O dilecta Deo series lectissima fratrum,
Thesauros nullo perituros tempore condit,
Aeternasq́ animo sedes affectat olympi.
Quò iam etiam partem scandisse ferebat ouantem,
(Sic pietas sperare iubet) fortissima quondam
Pectora, quae CHRISTI *pro Religione tuenda*
Haud timuere sequi pulchram per vulnera mortem.
Multaq́ de genere hoc me saepius ille diserto
Sermone edocuit scitantem, nec minus vltrò,
Sic vos praecipuo colit, atq; obseruat amore.
Quae verò de te praesertim plurima dixit,
Deq́ tui eximijs animi, venerande Iacobe,
Dotibus, & stirpe illustri, & sacro ordine dignis
Moribus; atq; bonis semper quanto ipse labore
Inuigiles studijs, & chartis plurima mandes:
Omnia praetereo consultò. nam mihi prudens
Id quoq; Curterius cauit, dum carmine primùm
(Ipso addente animos) te compellare parabam.
Scilicet vt cupidae si me ardor fortè camoenae
Aut meriti nitor vrgeret, per amoena tuarum
Laudum prata stylum traducere, te nihil inde
Inspectante ausim contingere: caetera nam te
Laturum facilè, cum tam sis mente benigna,
Obsequium ignotae, parua, & munuscula Musae:
Verùm si quis in os tibi maxima quaeq; merenti,

Since-

Sincero quamuis animo, & virtutis amore,
Sedulus obtulerit praeconia debita laudum,
Nube ſupercilij ſpreturum, & fronte ſeuera.
Nimirùm humanis rebus ſublimior, atq;
Aſſueta aeternae meditari praemia vitae,
Mens refugit tenues titulos, & inania verba.
Quare ego, cui in votis erat hoc nil amplius vno,
(Quandoquidem fandi coràm non vlla futura eſt
Copia, longinquis nos diſiungentibus oris)
Quàm reperire viam, vnde tibi innoteſcere noſter
Poſſet amor: non hoc patiar procedere quicquam
E calamo, tua quod temnat, vel abhorreat auris.
Si tamen haec alio non ſit pagella moleſta
Nomine: ſed quanquam lepor illi, & gratia deſit,
Fuco etiam caret, & qualem me tradere geſtit
Nunc tibi, nempè tui, atq; tuae probitatis amantem,
Dum mihi vita manet, referet mox ſemper eundem:
Verùm id (arterio quamuis tibi teſte probari,
Meq; tuos ſperem cenſendum iam inter amicos:
Non tamen iccirco patronum adhibere verebor,
Omnia te cuius meritis concedere par eſt.
Is mihi Gregorius fuerit, celeberrimus ille
Nazanzi Antiſtes, quem tu felicibus auſis
Graijs eductum latebris, ſermone loquentem
Romano, occiduis vexiſti nuper in oras.
Huius mî faueat venerabile nomen, & oſſa:
Quorum particulam tibi noſtri in pignus amoris

Mittimus

Mittimus; ex Diui Zachariae quam meus olim
Aede tulit dominus, dum magna negocia Summi
Pontificis tractat Venetûm BECATELLVS *in Vrbe:*
Optimus idem etiam Antiſtes, moriensq; reliquit
Inde mihi, haud vno te dignum nomine munus.

IOANNES CVRTERIVS ANTONIO GIGANTI φιλτάτῳ Salutem.

SCRIBO *iterum, mi Gigas: ſed gratiora, quàm primùm: nempè poſt varios in miſera Gallia errores meos, in D. Billium tandem σὺν θεῷ, prope Turones incidiſſe me; coenaſſe, meis relictis, cum ipſo: ſanctumq; λείψανον, carmenq; tuum eſſe deoſculatum, amplexum, admiratum. Taceo, quos habuimus de te, de Sigonio, multisq; alijs, ſermones. Non potui tamen omnia cum eo, tam breui occurſu, de te, de me, noſtrisq; rebus alijs agere. Caetera in proximam hyemem remiſſa ſunt; quo tempore inducias forſan aliquas, more ſuo, datura eſt peſtis; quae per totam ferè Galliam nunc graſſatur. Credo tamen tantas moras non eſſe paſſurum Billium; breuiq; tibi reſponſurum. Quicquid ad nos miſerit, dabimus operam, vt ad tuas manus tutò perueniat. Vale interim, & Sigonium meo nomine ſaluta. Ex maiore monaſterio vij. Cal. Septemb. MDLXXXI.*

DEBITA

Ad FRANCISCVM TVRNONI Abbatem, & Alexandrum Priorem Sancti Martini, Fratres, Rupifucaldios.

DEBITA iampridem vobis, quo ſaepe benigne
Praesētes humile obſequiū, ſtudiūq; probaſtis,
Sumite nūc eodē absētes mea carmina vultu,
Praeſtantes animi iuuenes, par nobile fratrum.
Indicia haec ſolùm, quamuis tenuiſſima, gratae
Mentis erunt, meritis nec reſpondentia veſtris.
Dicere nam vobis, tantiſue rependere dignas
Officijs grates, non hic ſtylus eualet vnquam,
Nec mî opis eſt tantum. neq; item praeconia laudum
Magna offerre ſinit torpentis inertia Muſae:
Ipſa licet vanis interdum id geſtiat auſis
Sponte ſua, nec non applauſibus excita laetis,
Dum Randanorum illuſtre, ac memorabile nomen
Certatim à paruis celebrari hîc audit, & amplis.
Eximias ſiquidem dotes, morumq; lepôrem,
Et cultum ingenium, ſanctiq; pudoris amica
Pectora, mirificis vt laudibus extulit olim,
Dum veſtro aſpectu gaudens vos docta fouebat
FELSINA, *ſic pleno nunquam non praedicat ore.*
Non obſcura loquor: quanquam clariſſima virtus
Veſtra, velut celſis noctu ardens montibus ignis,
Aut inſtar caelo ſignantis laeta cometae,
Omnium vbiq; oculos in ſe conuertit, & ora.

Teſtes

Teſtes Pontificis Summi, Sacriq; Senatus
Collati toties in commoda veſtra fauores,
Et quo praeſentes vos Roma excepit amore.
Perſpicuum meriti indicium, atq; inſigne futuri
(Sic ſperare iuuat) monumentum, et pignus honoris.
Nam decimũ properans aetas iam claudere luſtrum,
Non potis eſt dulcem mihi ſpem fregiſſe, videndi
In Latias oras vos, Vaticanaq; rurſum
Templa reuertentes, titulis maioribus auctos.
Interea veſtra laeti virtute, bonisq;
Florentes ſtudijs, partum iam credite ſummum
Vobis eſſe decus: pretium nam continet in ſe
Virtus ipſa ſuum, quod laurea nulla, nec oſtrum
Amplificare valent: proprio vt fulgore pyropus
Fit magni, aut adamas nondum circundatus auro.
Tum verò artificis quicquid ſuper addit honoris
Ingenioſa manus, laudant, mirantur & omnes;
Sed non iudicio, ac ſenſu rude vulgus eodem,
Quo ſapiens, & cui potior ſententia cordi eſt.
Namq; operis pulchram ſpeciem, notumq; metallum
Inſcia turba ſtupet: verùm ſincera nè gemma,
Et quanti liceat: fuco an mentita colorem
Vilior exiſtat, quo circuncluditur, auro,
Negligit omninò, aut potius diſcernere neſcit.
At prudens Sophiae cultor benè callet vtrunq;,
Atq; alia ornatus, alia ratione lapillum
Approbat, haud ignarus quantum hic diſtet ab illis.

Vultis

Vultis & illustri exemplo mea carmina firmem,
Clareat vt magis, an virtuti debita pluris
Praemia sint facienda, an per se se inclyta virtus
Gasparis ad vestras fors aures nobile nomen
Venit, quo meritò gens Contarena superbit:
Illius aut potius praeclara euoluere scripta
Iam potuisse reor, captos vt amore legendi
Vos noui, & parta est librorum magna suppellex.
Tertius hunc Paulus, quo non prudentior alter
Dignos seligere, atq; vltrò decorare merentes,
Absentem Tyrij insigniuit honore galeri:
Cùm Venetos inter proceres tunc publica obiret
Munia, & ingenti, vt semper, tum laude senator.
Mox Romam accitus mira pietate, fideq́,
Consilio & summis solerti in rebus agendis;
Virtutemq́ suam, ac magni memorabile de se
Pauli iudicium aeternos clarauit in annos.
Ergò multa libens cum Gaspare saepe solebat
Romanus conferre Pater, quae mente sagaci
Versabat prudens in publica commoda semper.
Haec inter de purpureis cùm fortè legendis
Consuleret patribus, quid sentiat ipse rogatus
Gaspar ait: curam (quando nil vrgeat) illam
Differri, ac praesens potuisse in tempus omitti,
Et dictum validis rationibus vndiq; munit.
Tum senior reputans mortali in pectore liuor
Quid possit, nec dum certus num Gaspar eodem

Tinctus, an ingenuo sit talia corde locutus,
(Namq; imos hominis valeat quis noscere sensus?)
Respondit, fuimus nos isto & in ordine quondam,
Scimus et hoc etiam, vt proprium penè omnibus insit,
Aegre vt quisq; ferat, nec non mille artibus obstet,
Quandocunq; sibi sit quisquam aequandus honore.
Ille autem penitus suspectae vt diluat omne
Inuidiae crimen (tantum dat conscia recti
Mens ausum) vtq; magis pateat, quòd sacra tiara
Haud aeque facit esse pares dumtaxat, & ostrum;
Parce, inquit, mihi Sancte Pater, si forte videbor
Aut nimis audenter fari, aut tua pendere parui
Munera, quae (vt par est) mihi erũt āplissima sēper,
Ac tibi pro meritis tantis debere fatebor.
Ne verò posthac me rubra insignia cuiq;
Inuidisse putes; scito, non amplius aequo
Illis me efferri, aut adeò, decus inde meorum
Vt credam maius proficisci, & culmen honorum.
Obstupuit responsa Pater tam libera, & alium
Gasparis ingenium, nil audens hiscere contrà.
Nunc vos ò iuuenes sublimis acumine mentis
(Vt vates Thebanus ait) comprendite nostri
Sensum animi: & diam virtutem pergite totis
Viribus amplecti, atq; amplis praeferre benignae
Fortunae donis; vt celsa è RVPE FOCATA,
Splendida tot vobis vnde ornamenta redundant,
Iam nec nobilitas, nec opes, nec gratia regum

Scintillent

Scintillent adeò per Gallica, & extera regna,
Vt proprium decus amborum, illuſtriſsima virtus.
PICI *etiam poſſem exemplum memorare Ioannis,*
Quo nil mirandum magis extulit Itala tellus:
Cuius et Antipodes, nedum Thule vltima, et Indus
Iam norunt laudes, atq; indelebile nomen,
Verùm nota viri cui ſunt magis omnia tanti
Et ſtudia, & mores, quàm vobis? quos veneranda
A teneris primùm Picorum clara propago,
Inſtituit Mater. mox & digniſsimus omni
Curterius laude eius per veſtigia ad aliam
Virtutis metam fauſto vos omine duxit.
Tum viſa ipſius tandem incunabula quantum
Ardorem auxerunt animis, celebrataq; imago,
Diuiniq; opus ingenij immortalia ſcripta?
Hinc ſtimulos, hinc & calcaria ſumitis vltrò,
Iam celeri curſu per vos Helicona petendo,
Artibus vſq; bonis intenti, & rebus honeſtis:
Vt iam verè aliquis, blandiri neſcius, ipſum
In vobis Pici exemplar ſe agnoſcere dicat.
Sit candore animi, morumq;, ac ore venuſto
(Addidit hunc etiam largè natura decorem)
Sic dulci alloquio, ſalibus, virtutis amore,
Et ſtudijs Picum, & lepida grauitate refertis.
Talia dicenti tum me propenſa voluntas
In veſtras laudes, tum res monet ipſa fauere,
Atq; etiam calamo quamuis ſubſcribere inerti.

Amplius at vobis, quod PICO *defuit vnum,*
Optem supplicibus votis ab Rege superno,
Nempè aeui longum spatium, viridemq; senectam:
Quo generosa diu vestro laetetur honore
Progenies Randanarum, Rupisq; focatae.
Quoq; magis tanto latè radiante per orbem
Virtutum splendore, potens se Gallia iactet,
Obductasq; animis tenebras procul arceat omnes.

Bononia MDXXCII.

Ad HIPPOLYTVM AVGVSTINIVM Caldanæ Dom. Cum vitro ad Solis radios ignem accendente.

NON quia muneribus tecum, vir nobilis, ausim
Certare, hoc primùm tibi mitto: nãq; ego tãtì
Haud facio varios nostri (hoc si noïe dignũ est)
Musaei ornatus, congestos vt simul omnes
Posse rear quoduis donorum aequare, benignè
Quae mihi iam toties & pulchra, & plura dedisti.
Sed licet exiguum, id magni tu in pignus amoris
Sume, precor. Si quidem non hoc te nomine tantùm
Diligo, quòd largus crebro me munere dignes,
(Quanquam me magis hinc etiam debere fatebor:)
Ast animi candor, tuaq; illustrissima virtus
Hippolyte, & lepor eloquij, moresq; venusti
Me tibi praecipuè vinclo obstrinxere perenni.
Quòd si purus amor, si in te propensa voluntas,
Si memor accepti, si mens tibi grata probatur;

Cum

Cum fragili vitro haec etiam vultu aspice blando
Parua senescentis mecum munuscula Musae.
Cui si quid maius meditanti aspiret Apollo,
Dedita quàm tibi sit, numero fors pluribus olim
Carminibus pandet, nitidas audebit & vndas
Fontis inexausti laudum libare tuarum.

Ad HIERONYMVM GIGANTEM Ioannis F. Hieronymi Iurisconſ. clariſs. Nepotem.

ANNIS parue puer, sed iã nũc indole magna,
Quos cõsanguineus Semproni ex vrbe libellos
Mittit, sume libens, non parui pignus amoris.
Quàm vellem hos ad te mihi nunc perferre liceret,
Et te praesentem affari, tuaq́ ora tueri.
Nam quãquam haud facie, Antoni sed noĩe tantúm
Sum tibi notus adhuc: tamen ipsum prorsus amantem
Esse tui, cupidumq́, velim, HIERONYME, credas.
Siue ita cognatus fert sanguis, siue parentis
Multa tui merita, ac virtus id iure requirunt:
Siue tuum ingenium, cuius iam laudibus absens
Delector, tanto nos in te inflammat amore.
O mihi contingat saltem te cernere coràm,
Cùm viridi aetate, & multis virtutibus auctus
Nobilia insistes vestigia patris, auiq́.
Et Venetum, magna turba comitante clientum,
Ingrediere forum, ac dum tu sermone diserto
Orabis causas, subsellia plena stupebunt.

Haec

Haec ſanè à teneris nunc te meditarier annis
Care puer decet, & ſtudijs aſſueſcere magnis.
At quamuis exempla domi, quæ certa ſequaris,
Ipſe habeas, nec non praeceptis patris abundes:
Hos tamen è manibus nunquam dimittere libros
Te moneo, tua deinde feret cùm firmior aetas.
Quos princeps latij ſermonis Tullius olim
Diuino ſcripſit calamo, dum maxima Roma
Eloquio, imperioq; magis florebat, & armis.
Saepius hos etenim relegenti & copia largè
Effluet inde tibi verborum, & ſplendidus ordo.
Sic te creſcentem Deus, & fortunet adultum,
Ac per te gentem amplificet, nomenq; Gigantum.

In ſolemni Tranſlatione plurimarum Sanctarum Reliquiarum ab Illuſtriſsimo, & Reuerendiſs. D. Gabriele Card. Palæoto Archiepiſcopo I. Bononiæ celebrata Sexto Id. Sept. MDXCIII.

SACRA *beatorum cinerum ſpectacula rurſus*
Dilectae Gabriel patriae Pater optimus offert,
Eccleſiamq; ſuam pretioſo munere ditat.
AGRICOLAE *quondam,* VITALISQ. *oſſa ſepulchro*
Eruit obſcuro, nitidaq; locauit in ara.
Tum Mediolano rediens quàm plurima Diuûm
Pignora laetanti ſolemniter intulit urbi.
Fauſtinianus Epiſcopus ij. Bon. *Inde* ZAMAE *primi Paſtoris, itemq; ſecundi*
Felſinei gregis, inſigni tranſlata triumpho

Corpo-

Corpora, odoratis è cedro condidit arcis.
Nunc Palæotorum longo antè labore, pioq;
Collectum ſtudio, atq; diu intra tecta repoſtum
Theſaurum promens, oculos, & corda tuentum
Exhilarat, nec non diuino inflammat amore.
Scilicet has populus veneratus honore decenti
Sanctas Relliquias, etiam feruentius ipſos
Caelicolas ſupplex in vota, preeesq; vocabit.
Omnimodis igitur laetare Bononia, feſtam
Concelebrans pompam, tot tantiſq; aucta trophaeis.
Præſuli & innumeras grates age pectore, & ore;
Atq; tuae vt valeat longum inuigilare ſaluti,
Illi longaeuam, viridemq; precare ſenectam.

Ad ALEXANDRVM BVRGIVM Mutilianæ Priorem.

In obitu Ioannis Vicecomitis Mediolanenſis, Vtriuſq; Signaturæ Referendarij.

NI tua, BVRGE, mihi probitas, doctrinaq; certis
Iampridem indicijs adeò perſpecta fuiſſet,
Vt penitus credã, nil te ius praeter, et aequum
Aduerſum caros committere poſſe ſodales:
Neſcio quid noſtram poterat compellere muſam,
Quo te mordaci properaret carpere iambo.
Miraris merito tibi conſcius, vnde repente
Iſta ſit exorta, & quonam querimonia tendat.
Sed mihi num veniam geniali tempore ſpondes,

Senſa

Senſa animi ingenue ſi proloquar, annuis. ergo
Praebe incompoſitis patientem verſibus aurem.
En tuus occubuit praereptus morte Ioannes,
Dimidium, vt prefers, animae, quem ſanguine clarũ
Extulerat vice gens Comitũ, & cui maxima Roma
Ingenio, ſtudijſq; bonis, & moribus aequè
Florenti, magnos iam deſignabat honores.
Occidit ille (inquam) tibi, Burge, & flebilis Vrbi,
Nec tu nulla animi moerentis ſigna dediſti:
Sed nego amicitiae ius abſte prorſus ad vnguem
Hactenus expletum: nam te licet vnus, & alter
Viderit ex oculis lacrymas, & curia tota
Audierit gemitus promentem pectore ab imo,
Egregij Iuuenis dum lamentaris acerbum
Funus, & orbatum quereris te dulcis amici
Congreſſu, ſalibus, ſermone, lepore, iociſq;.
At tamen hinc laudes, nomenq;, decusq; perempti
Non praeſens aetas paſſim, non poſtera noſcet;
Ni tua, quo nequeat ſe vox extendere, culto
Docta manus calamo conſcripta, haec omnia chartis
Pluribus emittat iam nunc, iteretq; ſubinde.
Nempe hoc ſupremum extincto perſoluere munus
Pridem debueras, & adhuc indignor omiſſum.
Non ſi perpetuis madeant tibi fletibus ora,
Aſſiduè & moeſtis repleas clamoribus auras,
Defunctum ſuperas reuocare valebis in oras:
Illius at longùm, vt vigeat poſt fama ſuperſtes,

Donec

Donec Etruſcus erit ſermo, atq; in honore latinus,
Quò magis ipſe potes praeſtare, hoc & fore maius
Crede nefas, ſocij manes fraudare morando.
Querengi & Muſam, tanto quam Roma fauore Antonius Querengius.
Proſequitur, quamq; ipſe viri & virtutis amore
Suſpicio, veneror q; libens, perq; omnia laudo;
Nunc tacitè increpitans compello hucuſq; ſilentem,
Non modo virtuti praeconia debita laudum,
Sed proprios tumuli titulos, & lugubre carmen.
Ac ſi lethaeam ipſa etiam guſtauerit vndam,
Aut ille ignota iaceat velut hoſpes arena.

M D X C V.

In tumulum Hieronymi Manutij Pauli filij, obijt Raguſij.

HOc puer egregia Hieronymus indole paruo
Contegitur tumulo. quem docti filius ALDI
Progenuit Paulus, Venetaq; huc miſit ab vrbe
Grammaticam Boſio ſub praeceptore docendum. Paulus Boſius.
Sed dum nec puero ingenium, nec cura magiſtro
Deeſt, importunae ſecuerunt ſtamina Parcae,
Octauum vitae cùm penè attingeret annum.
Haec tibi fortè ſatis fuerit nouiſſe Viator,
At reliquos etiam libeat percurrere verſus,
Vt magnum ediſcas animi puerilis acumen.
Saepius ille bonum doctorem multa rogabat
Aetatem ſuprà. quis ſcilicet aurea caeli

Sidera, & errantem Lunam, Solemq; creasset;
Quòse hic proriperet fugiens, aut vnde rediret;
Cur minus illa die niteat, quam nocte serena:
Atq; huius generis scitari plura venustè.
Sed non vlla adeò responsa audire libenter,
Vt Caelum esse Dei sedem, quò deinde piorum
Se referant animae, illius tum sedis amore
Ardentem puerum mage, quàm sit credere dignum,
Cernere erat, penitusq; illam se optare ferentem.
Quin etiam assuetus iam verba latina sonare,
Haec hilari vultu non nunquam iterare solebat
Caelum suspiciens, illuc ascendere vellem.
Quod desiderium ne maior frangeret aetas,
Maturè expleuit puero regnator olympi.

In Hæreticos tumultuantes in Gallia sub Carolo IX.

EHEV quã miserũ est, populos memorare veneno
Lutherì infectos. Germania, et Anglia pridem
Florentes ambae mira pietate, Deiq;
Cultu, quò ruitis? quis vos furor incitat amens?
Quis vos à capite ah membra infelicia magno
Cum scelere excidit? Sed tu quoq; Gallia robur
Romanae sedis quondam, diro omine tanta
Flagitia in nitidum potuisti admittere corpus?
Tu sacras aras, tu mille dicata per annos
Templa Deo, eruere, & foedis comburere flammis

Sancto-

Sanctorum effigies, atq; inſultare nefandis
Auſa modis rebus ſacris, CHRISTIQ. miniſtris?
Nec puduit regni leges violare vetuſtas,
Regiam & inſidijs prolem petijſſe latenter,
Mox armis etiam, belloq; laceſſere aperto?
O mores, ò in peius labentia ſæcla,
Quaenam tot nobis ſperanda eſt meta malorum?
Nempe manu hîc opus eſt magni Rectoris olympi,
Vnus qui euerſis potis eſt ſuccurrere rebus;
Humanas quando nil profeciſſe medelas
Sentimus. ſic ille benigna haud abnuat aure
Orantes veniam coetus audire piorum.

Ex Seneca de breuitate vitae. Cap. I.

MAXIMA *pars hominũ queritur, Pauline, quòd æuũ*
Natura exiguum dederit mortalibus, & quòd
Tam rapidè nobis decurrant tempora vitae,
Vt, vix exceptis paucis, dum viuere rectè,
Et ſapere incipimus, fato ſubigamur acerbo.
Nec turba huic damno tantùm, atq; ignobile vulgus
Ingemit; eſt etiam clarorum audire virorum
Indecores queſtus. Medicorum maximus ille
Hinc vitam eſſe breuem, longamq; expoſtulat artem.
Hinc & Ariſtoteles naturam incuſat iniquam,
Nempè quòd incaßùm innumeros indulſerit annos
Cornici, & Ceruo: aſt homini in tam multa creato,
Ac tam magna, breuis fluxi ſtet terminus æui.

Attamen id falsò querimur, nec tempus habemus
Exiguum miseri, sed multum perdimus ipsi.
Longa satis vita est, & idonea rebus agendis
Pluribus, & magnis, si quis non negligat uti.
Verùm ubi per luxum, & curas defluxit inertes,
Tum demúm piget, ac animo transisse dolenti
Sentimus, quam non unquam intellexímus ire.
Non igitur vitam angustam accepisse, sed ultrò
Nos talem proprijs vitijs fecisse queramur:
Nanq; inopes aeui haud sumus, at disperdimus aeuum.
Sicut regis opes si prodigus occupet, horae
Momento quamuis ingentes dissipat omnes.
At res, quam frugi custos possederit, usu
Crescereq́, & longos potis est durare per annos.
Ergò qui, quodcunq; Deus concesserit aeui,
Maturè studijs solers impendet honestis;
Hic vixisse diu meritò, Pauline, feretur.

De Perseo Macedonum Rege captiuo. Ex Tito Liuio lib. XLV.

AEMILIVS *victo cernens ab Rege tabellas,*
Supplice conscriptas calamo, et sine noïe regis:
Dicitur humanae sorti illacrymasse; quòd ille,
Qui pridem Imperio non sat contentus auito,
Dardaniam duderet, longèq́ inuadere fines
Illyrij, ac socijs Romani nominis ultrò
Arma inferre ferox, ipsosq́ lacessere bello
Romulidas,

Romulidas, nec non Italis minitarier oris:
Tum penitus regno extorris fugisset inermis
Insulam in exiguam, qua sacri denique fani
Religione, suis non tutus viribus esset.
Mox etiam in castra adduci vt conspexit eundem
Captiuum, sortis casum miseratus iniquae,
Porrigit afflicto dextram, & sic fatur amicè.
Vtcunque haec, Perseu, inciderint, seu dura subegit
Sors, siue imprudens aliquis te compulit error,
Iam bonum habere animum iubeo; nam casibus ante
Multorum Regum bonitas perspecta Quiritum,
Spem tibi, & indicia ostendit propè certa salutis.
Haec graeco sermone. Suis at deinde latinè,
Insigne ante oculos exemplum cernitis, inquit,
Quanta humanarum siet inconstantia rerum.
Praecipuè iuuenes vos huc aduertite mentem,
Discitéq; in rebus nulli insultare secundis,
Nec facilè ancipiti praesentis credere ludo
Fortunae, CVM quid vesper ferat, incertum sit.
Is demùm vir erit, cuius non efferet vnquam
Prospera sors animum, sed nec contraria franget.

ANTONII GIGANTIS FOROSEMPRONIENSIS CARMINA ELEGIACA.

Ad POMPONIVM BECCATELLVM Caroli F. Abbatiae S. Fabiani Vallis Lauini Commendatarium.

POMPONI, *quae te nascentem excepit in vlnas,*
Et fouit casto Calliopea sinu:
Illa tibi semper nutrix ceu sedula alumno
Assidet, instillans nectar, & ambrosiam.
Ac seu te Albini colles, & prata morantur,
It socia, & dulci detinet alloquio.
Siue Academiam repetis, carosq; sodales,
Illa tibi numeros sufficit, illa sales.
Et proficiscenti Patauinam nuper ad Vrbem
Praebuit illa ducem se, comitemq; viae.
Quin decedenti penè ipso in limine molles
Dictauit questus Phrasidemi, & lacrymas.
Phrasidemi inuitè linquentis tecta Corinnæ
Dum longum hyberno sidere carpit iter.

Et

Et ſibi cùm tantum, mi Beccatelle, laborem
De te ſuſcipiat maxima Pieridum:
Mirabor, tibi quòd ſubeat facundia tanta,
Et tam dulce tuo carmen ab ore fluat?
Non eadem noſtri iamdudum cura Thaliam
Tangit, ſed veluti ſaeua nouerca fugit.
Viq; emanſorem iam me aſpernatur, & odit,
Nec vota infenſam, nec pia thura iuuant.
Me mea ſegnities ingratam ducere vitam
Coget, & ignotum conſenuiſſe domi.
At te magna decent, magnis te rebus agendis
Natum vel faſces, vel decora alta manent.
Te patrui magnos æquare decebit honores,
Cuius virtutes, ingeniumq; refers.
O mihi tam longos concedat Iuppiter annos,
Vt quae mens claris proſpicit indicijs,
Aſpiciant oculi: fungenti vt munere ſacro
Scilicet eximij ſit tibi cura gregis.
Huc ſtudia, huc mores, grauitas huc grandior annis
Spectant, certus honos hic pietatis erit.
Firmior at ætas haec, & maiora repoſcet,
Romaq; virtutis praemia ſponte dabit.
Tu tamen interea complectere (quod facis) ipſam
Virtutem obnixè viribus, atq; animo:
Contentusq; illa ſic viue, vt tempore nullo
Te ſperes maius poſſe parare decus.

ETSI

Ad PAVLVM BOSIVM.

ETSI inter ſtrepitus agreſtum, praelaq́ iuras,
Te requiem membris vix potuiſſe dare;
Ne dum animum dulci interdū recreare libello,
Interdum aut lepidos ſcribere verſiculos.
Non tamen, vt credam, adducor, ſuauiſſime Boſi;
Muſam rure tuam tam ſiluiſſe diu.
Non ea deſidiae, longi nec amica ſilenti eſt,
Nec ſiccum calamum tam ſinit eſſe tuum.
Nec te adeò hunc totum pinguis vindemia menſem
Implicitum tenuit, continuusq́ labor.
Attulit & tibi feſta dies ſaepe otia, quae non
Turbarunt raucis vocibus agricolae.
Nunquam igiur nobis ſatis excuſatus abibis,
Otia quód dicas nulla fuiſſe tibi.
Quare age quicquid habes, da nobis, Paule, legendum,
Et me participem fac ſtudij eſſe tui.
Da, per Virgilij te oro memorabile nomen,
Perq́ tui Flacci carmina docta, precor.
Seu duri Martis, teneri ſeu praelia Amoris,
Seu ruris laudes, Paule diſerte, canis:
Quicquid id eſt, nobis quàm primùm mitte, precamur:
Nam tua vel cupidè candida ſcripta legam.

Dum

Ad NICOLAVM GOTIVM Archipresbyterum Raguſinum.

DVM, GOTI, à ſacro Becatelli Praeſulis ore
Pendes, atq; auida aure aurea verba legis:
Eſtnè ſatum Maia facundè audire loquētem
Quòd malis, Phoebum ve, Aonidum ve choros?
Si mihi ritè tuos liceat recludere ſenſus,
Hunc tibi magni inſtar numinis eſſe rear.

De Io. BAPTISTA AMALTHEO

PHOEBE tibi, & vobis dilecta fronde Camoenae
Tempora Amaltheo cingite docta bono.
Quandoquidem ſe ſe ſublimi carmine priſcis
Vatibus aequiparat iam, ſuperatq; nouos.
Nam ſibi ſeu veſtras ſumit contexere laudes,
Seu canit Heroum fortia facta virûm.
Florea ſeu rura, ardentes ſeu dicit amores,
Latè Hyalem ſyluas ſeu reſonare docet.
Seu caris ſcribit ſocijs epigrammata: nemo
Eſt, cui candidior verſus in ore ſonet.

Ad Eundem de ipſius carmine Crater inſcripto.

VNVS ego in tota ne abſtemius vrbe viderer;
Triſtis & in tanta laetitia populi.
Hauſi mane tuum ſummo Cratera, Ioannes,
Spumantem dulci nectare & ambroſia.

Quem ſimul admoui labris, mihi viſa repente
Curarum ſolui compede corda graui.
At mox illa tibi diuino munere amice
Deuinxti, extremo vix ſoluenda die.

De irrito Piſcatu in litore Illyrico.

QVICVNQ. es, gracili qui nuper arũdine paruos
Captabas rigido è litore piſciculos:
Et nunc ſpe longa fruſtratus, arundine, et hamo
In mare proiectis, hinc ſtomachoſus abis:
Siſte gradum, noſtrasq; tui adiunge querelas,
Nam cauſſa eſt tecum par mihi triſtitiae.
Huc ego ſaepè miſer deſcendi, nec fuit vnquam
Piſciculum multis fallere poſſe dolis.
Ac mea ne poſſet culpari inſcitia, tempus,
Et loca piſcandi quòd minus apta legam:
Hìc Sol me exoriens, medioq; ex axe reuiſit,
Saepè laborantem me miſeratus abit.
Atq; antehac alios hoc ipſo è litore vidi
Fiſcellam multo piſce referre grauem.
Me mala ſors vnum gaudet diſcedere triſtem,
Exultat ſemper queſtibus illa meis.
Hìc te non antè inſpexi, & fortaſſe laborem
Fruſtratum ſentis nunc ſemel eſſe tuum.
At nobis, quoties ad litora venimus, omnes
Iratos toties ſenſimus eſſe Deos.
Sicq; operam amiſi ſemper, ſic tempus, & eſcam,

Hincq;

Hincq; mihi cauſſa eſt maxima triſtitiae.
Nunc age dic hoſpes tua nobis fata viciſſim,
Vlterius fari me ira, dolorq; vetat.
Quid muſſas? num vox nimio compreſſa dolore
Deficit, & clarè promere verba negat?
Me miſerum, rebar ſocium reperiſſe malorum,
Rurſus decipior, barbara verba ſonat.
Haec quoq; dij nobis adimunt ſolatia, nemo
Queſtubus vt poſſit teſtis adeſſe meis.
I tu, quaere, tuas valeat qui audire querelas,
Hîcq; reſultabunt aſpera ſaxa meis.
Vos ſcopuli teſtes, quoties per dura cucurri
Litora, quàm laſſus ſaepè domum redij.
Interdum madidam, ſciſſamq; ab litore veſtem,
Interdum offenſos rettulimusq; pedes.
Nunc primùm didici, vetitum quàm tendere contrà
Arduus eſt homini, difficilisq; labor.
Quod noſtris prudens oculis natura negauit,
Quid iam fallaci perſequar arte miſer?
Haec alios poſthac teneat veſana cupido,
Quos rabida ingluuies, pauperiesuè trahit.
Me canibus potius lepores agitare fugaces,
Et laxo damas fallere caſſe iuuet.
Aut pictis auibus varias innectere fraudes,
Quas hominum ſolers repperit ingenium:
Per nitidos colles, nemora & per opaca, Metauri
Inſignis vitrea quâ fluit amnis aqua:

Semproniq; fori quà parua ſuburbia curſu
Flexiuago, atq; agri pinguia culta rigat.
Salue dulce forum, & tu ſalue nobile flumen,
Saluete ò patrij pulchra vireta ſoli.
En vnquam mihi veſtro oculos ſatiare lepore
Continget, longis temporibusq; frui?
Dij Patrij, vos & praeſentia numina, montis
Quae iuga Semproni, quaeq; tenetis aquas:
Iam noſtras audite preces, miſereſcite noſtri,
Nos tandem Illyricis eripite è ſcopulis.
Tuq; diu optatam lucem mihi, Phoebe, reducas,
Qua neuere meos fata domum reditus.
Ritè illic vobis, Superi, propè fluminis vndam
Perſoluam toties debita vota libens.

In Tumulum.

QVID circa Tumulum Charites mirare viator?
Quid Phoebum, & paſsis crinibus Aonides?
Parnaſsi decus immatura morte peremptum
Deflent, & ſacro dona ferunt cineri.
At tibi ſi pietas, ſi virtus inclyta cordi eſt,
Hunc quoq; tu decora floribus, & lacrhymis.

Ex Theocrito. Τὰ ῥόδα.

IANDVDVM vobis haec laeta roſaria florent,
Serpylla & denſo ceſpite, Pierides.
Hanc tibi, quae felix in colle vireſcit amoeno

Lau-

Laurus, iandudum Phoebe dicauit Acon.
At caper hic aram conſperget ſanguine Baccho,
Depaſtum vites auſus adire nouas.

Ex Eodem. Ἂ δείλαιε τὸ Θύρσι.

AH cur Daphni miſer tibi flendo exuris ocellos?
Cur roſeas turpat lacryma ſicca genas?
Lethaeos potum riuos faecunda capella,
Et paſtum campos iuit ad Elyſios:
Latratu ſyluas implet Melaneus: at illa
Iam periit, rabidi praeda cruenta lupi.

Ex eodem. Νήπιον ϕόν.

HIc Eudeme iaces longa perfuncte ſenecta,
Et magnis magnae muneribus patriae.
Nos tua ſolatur ſoboles te digna ſuperſtes,
Egregius patris filius egregij.
Iuppiter aeternûm meritos tibi reddet honores,
Deferet aſt populus huic memor vſque tui.

Ad FRANCISCVM VARVM Pratenſem. Piſas.

NE, quòd nulla tibi veniant mea carmina, factũ
Me, VARE, immemorem dixeris eſſe tui.
Quin potius quiduis credas prius eſſe futurum,
Quàm te dilabi pectore poſſe meo.
Nam mihi virtutemq; tuam, moresq;, ſalesq;,
Qua lethe ex animo tollere poſſit aqua?

Nec

Nec minus ante oculos verſantur plurima, quæ me
Saepius admoneant commemineſſe tui.
Et me ſiue bonis vacat oblectare libellis,
Occurrit nomen tum mihi ſaepè tuum:
Hunc Varus legere, hunc Varius laudare ſolebat,
Omnes ſe Vari prae monimenta ferunt.
Seu libet interdum cantu, fidibusue canoris
Triſtitiam, & curas pellere corde graues:
Vare ades huc, inquam, liquidas tu flectere voces
Doctus, tu facili pſallere dulcè manu.
Siue etiam quandoq; forum, vel compita circum,
Siue ſuburbana me iuuat ire via:
Hâc mihi Varus erat comes, hîc praedulcibus aures
Alloquijs ſolitus detinuiſſe meas.
O eadem noſtri interdum tibi cura recurſet,
Nec fluxiſſe tuo me patiare ſinu.
Quàm timeo, ne te magnae celeberrimus Vrbis
Conuentus memorem non ſinat eſſe mei.
Praeſertim Angelij ſi quando totus ab ore
P. Angelus Bargeus. *Doctiloquo pendens aurea verba legis.*
Angelij, vates quo non inſignior alter
Cingit Apollinea fronde virente comas.
Guido Tegrimus Archidiac. Luceuſis. *Aut cùm Tegrimi excipiunt te tecta benignè,*
Iampridem Aonijs æmula dicta choris.
Atqui vel meritò obſeruas ſtudioſus vtrunq;,
Et meritò ingenio eſt captus vterq; tuo.
Quod tamen audiſti praeſens, ac ſaepè probaſti,

Hoc

Hoc etiam abſentem te meminiſſe velim.
Caetera me facilè cuiuis concedere: at illi,
Qui te praecipuè diligit, eſſe parem.

Ad LVDOVICVM BECCATELLVM CAESARIS Filium.

PRiscorvm moneo, LVDOVICE, volumina verſes,
Vt tuus eniteat cultior inde ſtylus:
Ac molle ingenium excipiēs ſua ſemina, magnos
Mox referat fructus, vt benè cultus ager.
Ludicra nanq; ſemel ſatis eſt percurrere, plectro
Quae canit Hetruſco carmina Muſa recens.
Ne fidos ſpernas monitus, ſed linque paluſtres,
Et Latij nitidas imbibe fontis aquas.

Ex Italico idiomate Latinè redditum.

ACCIPE languidula, quae nūc tibi voce, Lycori,
Ad ſtrepitum Citharae carmina ſera cano.
Quando ego non potui tota te luce videre,
Dum paſſim huc illuc anxius vſque vagor.
Saepè hodie fontem petij te propter, & agros,
At nuſquam audita es, nullibi viſa mihi.
Vix tandem ē foribus non diſcedente Lyciſca,
Te ſenſi tacitam continuiſſe domi.
Ecquae tam aſſiduè potuit te cauſſa morari,
Quin ſemel in ſpecula conſpicienda fores?
Fac amabò, mea lux, ſummo te mane reuiſam,
Longior haec anno nox erit vna mihi.

At

At tu fortè leui recubas euicta ſopore,
Me Ioue ſub gelido ſæuus adurit Amor.

Aliud.

DVM blandis rigidum pectus mollire puellae
Conarer precibus, flebilibusq; modis:
Ipſa ſedens immota, diu permulta querentem
Eſt ſibi me lacrymis paſſa rigare ſinum.
Mox, vbi ſæuitiæ partem poſuiſſe decebat,
Me miſerum triſti perdidit indicio.
Nanq; ſinu excutiens lacrymas, fluite, inquit, inanes,
En mea nil veſtro pectora rore madent.

In Tumulum Io. Muſonij Cremonenſis.

QVI tumulos paſſim decoraui, & funera verſu
Multiplici, haec ipſum ſaxa viator habent:
Muſoni ſacro quondam cognomine clarum,
Quod me Pierius iuſſit habere chorus.
Nil eſt, quòd ſumas tibi noſtrum ornare ſepulchrum
Carminibus, ſeu hoſpes, ſeu mihi ciuis eris.
Haec neq; mî cordi, dum vixi, cura manebat,
Nam plura exſtarent hîc monimenta mei.
Sat mihi erit, pura ſi ſpargens marmora lympha
Optabis requiem manibus eſſe meis,

In Penniculum ventorum indicem.

NON ita perturbant terras, atq; aequora venti,
Vt mentis requiem culpa, ſceluſq; ruunt.

INDO.

Ad FABIVM BARDIVM.

INDOMITI vt non ſemper equi calcaribus armos,
Nec lento aſsiduus verbere terga premes;
Sed faciles collo interdum laxabis habenas,
Et greſſu exultet liberiore, ſines.
Sic pueri ingenium par eſt te flectere, Bardi,
Quem ſacram Aonij fingis inire viam.
Quòd ſi ille ignauus graditur; iam deſine loris
Indocilem, & ſaeuis ſolicitare minis.
Namq; expes operam perdit, quicunq; laboris
Hinc laudem inuita Pallade ferre ſtudet.
Tu verò ingentes age toto pectore grates,
Votaq; dijs ſuperis debita ſolue libens;
Qui tibi tam laeto auſpicio dant cernere natum
Praeſtantem egregijs dotibus ingenij.
Cui neq; iam ſtimulis opus eſt, nec voce magiſtri,
Sic agilis recto tramite currit iter.
Quiq; adeò à teneris animo pulcherrima tentat,
Pierij miro captus amore chori.
Queis igitur non ille queat ſe laudibus olim,
Qua non laetitia te cumulare patrem?
Diuitias alij, atq; auram ſectentur inanem,
Et quae ſors caeca fundit iniqua manu.
Munere tu hoc vno diuûm dicere beatus,
Scilicet & magnas aequiparabis opes.
Non tamen idcirco maturum tempus, & annos

Te cupidum votis anteuenire decet.
Ruſticus emollit longa ſpe ductus agellum,
Et ſolers cultae ſemina mandat humo;
Mox glaciem, ac ventos tolerat patienter, & imbres,
Dum referat gratas lenior aura vices..
Iam laeti ſubeunt culmi, tum deniq; multa
Optati compos horrea fruge grauat.
Quicquid item mollis ſpondet, poſt firmior ætas
Reddet, ne dubita, ſpes tibi certa manet.
Nunc animis requiem, nunc laxamenta benignus
Indulge, & patruum tolle ſupercilium.
Nunc ſine creſcentes dulcis ſopor irriget artus,
Noſcat & ingenuus tempora feſta puer.
Ipſe etiam ſemper non arcum tendit Apollo,
Delia nec timidas concitat vſq; feras.
Poſcit opem natura, minas faſtidit, & horret,
Atqui eadem placidum perferet imperium.
Haec vtcunq; tibi ſat erit dictaſſe Gigantem,
Dum benè tam nato, quàm cupit eſſe patri.

Ad EPIDAVRVM de LVCA SORGIO.

NAE *magnas tibi gnauus opes mercator, & au-*
Deferi, & multa nauita merce redit. (rum
At iuuenē, Hetruſco quite ex Helicone reuiſit,
Cinctus Apollinea fronde virente comas,
Excipe vel gaudens, atq; auri praefer aceruis,
Nobiliusq; tuum crede, EPIDAVRE, decus.

Tales

Tales ſaepè tibi ſic Flora remittat alumnos,
Clarius vt reſonet nomen in orbe tuum.

In obitu FRANCISCI VINTHAE.

VINTHA *obijt, quis iam commiſſa attentius alter,*
Maioriue fide munia obire queat?
Extinctus Vintha eſt, quis carmine dignius altũ
MEDICEAE *gentis nomen ad aſtra ferat.*
Ille adeò vnus erat tractare negocia ſolers,
Atq; animum ſtudijs applicuiſſe bonis.

In eiuſdem Tumulum.

FRANCISCI *Vinthæ monumentum. id noſcere tam*
Hetruſcis fuerit, finitimisq; ſatis. (tùm
At tu quiſquis ades longinquis hoſpes ab oris,
Si plus ſcire cupis, carmina pauca lege.
Magni à ſecretis COSMI *hic fidiſſimus olim,*
Et Phoebo, quantum ſit pote, gratus erat.
Ergò multiplici ille virum decorauit honore,
Egregio hic calamo ſcribere multa dedit.

OCTAVIANI HVMILIS ad ANTONIVM GIGANTEM.

NON *ego te genitum credo de ſtirpe Gigantum,*
Pellere de caelo qui voluere Iouem.
Sunt montes altis imponere montibus auſi,
Immaniſq; furor terruit ille Deos.

Fulminibus ſed merſa iacet Tellure ſub ima
Quas meruit paenas impia turba luit.
Tu tamen egreſſus caelo mihi crederis eſſe,
Eſt niſi caeleſtis gentis origo tuae.
Eſt mihi iam notus frater tuus ante, Mineruae
Arbor cui proprium nomen oliua dedit.
Illius eſt nulli virtus non cognita, claris
Inſeritur noſtri temporis ille viris.
Es (doleo Antoni) ſerò mihi notus, abibis
Vix viſus, grauiter quod niſi iure feram:
Non licuit te poſſe frui, velut umbra recedis,
Te nouiſſe mihi profuit ergo nihil.
Me tamen addictum magnis virtutibus eſſe
Crede tuis, ſterilis ſim licet ipſe ſenex.
Diceris eximius Vates, nulliq; ſecundus,
Abſens abſentem verſibus oro bees.
Felix, manibus pro me des oſcula fratris,
Quem memorem credo nominis eſſe mei.
Ridiculos elegos curſim tibi luſimus, oro
Faenore cum multo metra repone: vale.

Ad OCTAVIANVM HVMILEM.

QVIS noſtrae, OCTAVI, notũ tibi fecit agreſtem
Pieridis cantum, quae per opaca modò
Vix nemora obſtrepere ĩcõptis audebat auenis,
Et verſus rauca ſpargere voce rudes?
BENTIVOLVS certè, qualem me optaueris eſſe,

Fabius Bentiuolus Iuriſcons. Foroſempronienſis.

Nunc

Nunc etiam talem dixerit eſſe tibi.
Ille etenim pridem, nimio deceptus amore,
Cenſebat nugas non nihil eſſe meas.
Sed quocunq; modo noſtrum tibi nomen ad aures,
Re paruum, & ſi quid neſcio grande ſonat,
Venerit: ò Poebi, & Muſarum maxime cultor,
Nae tu animi multùm es comis, & ingenui.
Qui me tam lepidis affaris verſibus vltrò,
Atq; prior noſtram poſcis amicitiam:
Conuictu dignus procerum, alloquioq; potentum,
Virtutem ſi aequa pendere lance velint.
Quare ego, quod poſſum, grato tibi pectore grates
Perſoluo, & paucis innumeras numeris.
Nec non, tum propter Latoi inſignia magni,
Tempora honoratè queis redimita geris:
Tum propter dotes animi, morumq; leporem,
Ex quo etiam ignotos cogor amare viros:
Defero, polliceorq; libens (hinc fucus abeſto)
Si quid ineſt in me virium, & ingenij.
Abſentiq; abſens praeſtabo ſemper honorem,
Atq; HVMILIS clarum nomen in ore feram.

Hetruſcum Michaelis Angeli Bonarotae carmen latine redditum.

ETSI ſpes annis nondum contenta peractis,
Promiſit vitae tempora longa mihi.
Non tamen impigrae mea Parcae fila retardãt,

Nec

Nec mors non celeri me petit atra pede.
At quid iam plures annos, mendoſaq; vitae
Commoda mortales expetimus miſeri?
Si plus viuendo nobis nil proſumus ipſi,
Irritantq; magis noxia facta Deum.
Quoq; animus rebus terrenis arctius haeret,
Exulat æterna longius à patria.
Omnipotens Caeli Rector tu dirige greſſus
Noſtros, quà certo tramite tendit iter.
Da vafri illecebras hoſtis nos temnere, & vnum
Te colere, & ſemper commeminiſſe tui.
Vt iam nunc caeco mens carcere clauſa, beati
Te duce praelibet gaudia ſumma chori.

In Liuorem.

LIVOR abi, è noſtris & te citò proripe tectis,
Regnaq; Perſephones triſtia triſtis abi. (tris
Atq; tibi te Eumenidũ in gremijs, & crinibus a-
Conde, ibi & omne tuum virus amare vome.
Nam me nequicquam tibi ſubdere ſubdole tentas,
Et fruſtra rixas ſuggeris, atque odia.
Non ego (quod fateor) quamuis mala carmina fingam,
Inuideo, ſi cui pulcher Apollo fauet.
Quin laetor, necnon aliena poemata laudo
Ingenuè, vates deueneroq; bonos.
O noſtro hanc mentem contingat habere ſodali,
Audiat ille magis iam, blatereq; minus.

NVNC

Ad N. Oeconomum.

NVNC tibi gratarer ſuſceptum ob munus amice,
Cõmoda ſi qua foret noſtra habitura domus.
Nẽpè vices aliàs cùm menſe haud amplius vno
Antimachi gereres, durus & aſper eras.
Furfuream vereor Cererem, impurumq; Liaeum,
E patina in prunas incidimus miſeri.

Ad PAVLVM BRVNORVM.

SERA tibi veniunt haec carmina, Paule diſerte,
Sed te non ſerus noſter adiuit amor.
Ille libens iſtuc tacitus nam ſaepè recurrit,
Aſſidet aut potius ſedulus vſque tibi.
Non æſtus illum, non venti, aut frigora tardant,
Hanc eat aſſiduè quin, redeatq; viam.
Sic te, cumprimùm tua cernere contigit ora,
Inq; animo ſemper poſt, oculisq; fero.
Hinc Maſij per ſe dulces, lepidaeq; tabellae,
Iam nobis dulces ſunt, lepidaeq; magis: Ioa. Bapti. ſta Maſius.
Quòd de te verbis permulta loquuntur amicis,
Et rectè vt valeas, & referunt, quid agas.
Nec referunt modò, ſed praebent quandoq; legenda
Carmina, quæ pangis compta, & amabilia.
In quibus & noſtrum curas intexere nomen,
Quod facit, vt noſter plus quoq; creſcat amor.
Sed mihi dum nimium tribuis, Brunore, caueto,

Ne-

Ne tibi iudicium detrahat acre virûm:
Te damnans, quia me indignum tot laudibus ornas,
Quot Phoebi Vates condecorare decet.
Ipse quidem haud proprias illas agnosco, benigni
Indicia ast animi sunt mihi grata tui.
Tu virtute tua me fors metiris, & ima
Tellure implumem tollere ad astra cupis.
Sed malè dum sequitur quondam vestigia patris
Icarus in praeceps decidit arte rudis.
Ergò ignota domi mecum mea musa seneſcat,
Et petere alta timens iam sine serpat humi.
Non tibi, qui doctae mereant praeconia vocis,
Deerunt, hoc quando lemma libenter amas.
Mî verò sat erit, si te pagella vicissim
Interdum memorem nuntiet esse mei.

In tumulum Alexandri Magni:

CONDERIS exiguo Macedo rex magne sepulchro,
Cui pridem totus non satis orbis erat.
Terrarum victor, te vincere nescius ipsum,
Nunc mortem extinctus vincere posse negas.

In adolescentulum enſe accinctum.

CVM tu fulgenti, Polydore, accingeris enſe,
Quis te non ausit dicere Marte satum?
Qui verò forma tali te spectat inermem,
Cur dubitet, tibi sit quin Erycina parens?

FRAGRAN-

In pallentes violas.

FRAGRANTES violæ, niueas queis pulchra papillas
Induet, ac molles cinget Hyella comas:
Palliduli cauſam veſtri ſi fortè coloris
Vos roget, haec aliquo reddite verba ſono.
Dum miſer iratam deplorat Thyrſis Hyellam,
Creſcentes triſti nos aluit lacryma.

Ad LAVINIAM FELTRIAM de Ruuere Chriſtophori Cefali nomine, cum floribus ſericis.

HOS humilis Cefali tibi flores hortulus offert,
Queis nitidas ornes, inclyta ſponſa, comas.
Quanquam non ipſi Heſperidũ, nec Adonidis (horti
Digna queunt meritis mittere dona tuis.
Vſque adeò totum celebris tua forma per orbem
Quod pulchri eſt vſquam vincit, & omne decus.
Verùm illam eximijs animi virtutibus auctam,
Florentemq; bonis artibus, & ſtudijs,
Quis ſtupeat ſatis, & merito veneretur honore?
Quis dignè valeat concelebrare ſtylo?
Scilicet egregios culta educat Vmbria Cygnos,
Qui ſublime tuum nomen ad aſtra ferent.
Fama etiam volitans calamos, & plectra ciebit,
Et Vatum quot habet Phoebus vbiq; choros.
Nemo tamen plenè numeroq; & fine carentes

Se iactet laudes explicuisse tuas.
Ac noua ne desint vnquam praeconia laudum,
Ecce Hymenaeus adest omnia laeta ferens.
Alphonsus Felix Aualos Valli, & Piscariæ Marchio.
Et claro Heroum prognatum sanguine sponsum
Ominibus faustis nunc tibi ducit ouans.
Aemulus ille patris iam nunc virtutis, auiq́,
Gnauiter excelsum culmen honoris adit.
Sed quis me flores cursim per quadra legentem
Ad sacra deduxit limina Pieridum?
Incautè erranti vos castae ò parcite Diuae,
En oculos retrò iam, referoq́, pedem.
Tu quoq; da veniam, LAVINIA, *& ore benigno*
Suscipe quicquid id est hortuli, & ingenij.
Sic tibi contingant tot gaudia, litus arenas,
Et quot habet guttas aequor, & astra polus.
Sic Deus, aeterno qui vos coniunxit amore,
Te digna, & tanto coniuge prole beet.

De GABRIELE PALAEOTO Cardinale prandente apud Carolum Sigonium.

ACCVMBIT *mensae Sigoni* GABRIEL, *hoc est,*
Virtutem virtus officiosa colit.
Ordinis eximij splendore illustrior ornat
Hunc pietas, animi & candor, & ingenij.
Insignem florente stylo, scriptisq́, disertis
Illum vel meritò maxima quaeq; decent.

Gabriel

GABRIEL *ergò viri obsequio dignissimus, atq;*
Sigoni tanto est Praesule digna domus.

Ad OCTAVIVM ACCOROMBONIVM Episcopum Forosempronien. affinium puerorum nomine.

MAGNA *quidē, magne Antistes, te dona decerēt:*
Nos verò parui munera parua damus.
Tu tamē accipiēs haec vultu admitte benigno,
Hincq; etiam summi natum imitare Patris.
Qui non magna sacram iactantes munera in arcam
Laudauit; sed anus aera minuta duo.

Ad CHRISTOPHORVM CEFALVM, cum Q. Horatij Flacci poematibus, Lambini cōmentarijs illustratis.

QVANTI *se faceres pridē, quàmq; vnicè amares,*
Semproni audierat Flaccus ab vsq; foro:
Quare animi candore tui, ingenijq; lepore
Ille etiam nunc te Cefale captus adit.
Vestis squalorem contraxit frigore, & imbre,
Sed tamen est toto corpore conspicuus.
Hunc ergò excipiens gaude: nam laetor & ipse,
Quòd fuerim vobis auctor amicitiae.

Ad CAMILLVM PALAEOTVM Senatorem Bononienſem de laudibus Ruris.

VITA hominis, benè qui canos ſibi cogitet annos
Viuere, ab vrbe procul laetus agellus erit.
Villa vbi proſpectans in colle aſſurgat amoeno,
Et fontis vitream quercus obumbret aquam.
Maturè huc adeat, ſuperant dum corpore vires,
Nec vincit validos tarda podagra pedes:
Copia librorum mentem comitetur ab omni
Explicitam cura, quam nitor Vrbis alit.
Menſa abiegna toris hic longè praeſtet eburnis,
Vaſaq; concedant aurea fictilibus.
Sint procul arte cibi nimia, ſumptuq; parati,
Nec parca expectet vina falerna ſitis.
Hortus, & ipſa cohors, ſuccidia, & hirta capella,
Vel lautas poterunt ſuppeditare dapes.
Ruſticus interdum vicino e flumine molles
Piſciculos domino munera grata feret.
Interdum leporem, aut deceptas arte volucres
Deferet, incompto ſedulus obſequio.
Ipſe domi certas ſtudijs nunc diuidat horas,
Liber in apricis nunc ſpatietur agris.
Caelicolûm regem ſupplex in vota, precesq;
Saepè vocans, illo auſpice cuncta gerat.
Vere roſas errans, & per laetiſſima flores

Prata

Prata leget, paſsim dulcè querentur aues.
Aeſtiuos viridi Soles vitabit in vmbra,
Et queeret primi frigora opaca die.
Mox dulces carpentem vuas ſpectare iuuabit
Agricolam, & forti mitia poma manu.
Tum vigil hybernas extendat lumine noctes,
Et duras hyemes arceat igne focus.
Interea abſentes compellans carmine amicos,
Laudibus in Caelum rura beata ferat.
Interdum hoſpitio narrantem vrbana ſodalem
Excipiens, memori plurima mente roget.
Inſolitos faſces, & ludum ſortis inanem,
Illius aerumnas audiet, huius opes.
Tunc magis confirmans vitam laudabit agreſtem,
Hanc colet, hanc regum praeferet imperijs.
Cui ſic continget ſenium traducere, porrò
Corporis atq; animi eſt tuta reperta quies.
At tibi, patrone illuſtris, licet omnia laeta,
Cedere & ad votum proſpera cuncta precer:
Non tamen haec adeò optarim liberrima ruris
Ocia, vt vrbe omni tempore abeſſe velis.
Id tibi nec Genius, nec amicus ſuadeat auctor,
Cui tuus in patriam ſit benè notus amor:
Quiverè tuam norit virtutem in rebus agendis,
Quàm multos opera, conſilioq; iuues.
Culta igitur quamuis vario Argentina lepore
Geſtiat aſsiduè te retinere ſinu:

Rus Palæo torum.

Eme-

Emeritum ſenium, & longos cum laude labores,
Clarorum & memorans facta imitanda virûm:
Propoſiti tamen ipſe tenax hoc adde ſequendum
Ciuibus exemplum, magne Camille, tuis.
Publica priuatae nempè anteferenda quieti
Commoda, dum rectè membra, animiq; vigent.
Hactenus ergò pater conſcriptus rura frequentet,
Curia ne abſentem, ne doleat vè cliens.
Diſcat & hunc vitae duce te ſeruare tenorem,
Qui patriae ex animo dicier optat amans.

Ad eundem.

TV nimium tardos reditus miraris: at ipſe
Miror quî potui tam rediiſſe citò.
Non oſtentat enim multas hinc inde cupreſſos,
Rea. *Pinus vè hoſpitibus laeta Croara ſuis:*
Sed plenis calathis ficus apponit, & vuas,
Vnde tibi haec etiam ciſta Patrone venit.
Hieronymus Ghiſellus. *Ruris amatori quam mittit ruris amator*
Ghiſellus, tam vir, quàm citharista, bonus.

Epicedium in funere CAROLI SIGONII.
Qui obijt 28. Aug. 1584. annum agens 63.

CArminibvs me tuũ, doctiſſime Carole, funus
Proſequar, an lacrymis? Vndiq; namq; mihi
Surgit materies ingens. quî triſte feretrum
Eualeam ſiccis cernere luminibus:

Corpus

Corpus vbi exanimum, vegetoq; carentia ſenſu
Tam cari capitis, hei mihi, membra iacent?
Quîue illud potero, vnde auidus pendere ſolebam,
Aſpicere os clauſum, perpetuoq; ſilens;
Et moeſto gemitu, ac largo non prodere fletu,
Viſcera quàm ſaeuus torqueat ima dolor?
Os quondam eloquij flumen, ſic diuite vena
Manans, Eridani iugis vt vnda fluit.
Nunc aeſtu nimio morbi ſiccaris acuti,
Nos verò miſerè torret anhela ſitis.
Nec minus illa mihi moerorem languida praefert
Dextera, tam celerem docta mouere ſtylum;
Dum ſubit, heu ſcriptis quot iam ſpoliabitur orbis,
Heu quanto hiſtoriae lumine caſſus erit.
Aſt ego triſtitiae ſi cauſas perſequar omnes,
Illacrymem fruſtra, diſcruciérq; nimis.
Forſan & haec adeò lugubri naenia cantu
Nequaquam eſt animae, Carole, grata tuae.
Quae nunc exultans terrenis libera vinclis
Guſtat caeleſtis gaudia ſumma chori.
Sic ſperare iubet tua non ignauiter acta,
Et recti, & ſancti vita pudoris amans.
Et quae decumbens extremò ſigna dediſti
Chriſticolae geſtu, voce, oculisq; pij.
Haec ſiquidem repetita tuos ſolantur amicos,
Hincq; benè eſſe tibi commemorare iuuat.
Scilicet immitis propellere ſpicula mortis,

Serius,

Serius, aut citius quin ſeritura cadant,
Haud generi humano conceſſum: ſternimur omnes;
Hac homines nati conditione ſumus.
Ipſe etiam Caeli rector (mirabile dictu)
Carnea membra gerens, Virgine matre ſatus,
Laethales ictus excepit ſponte: quis ergò
In terris vitam non moriturus agat?
Cui verò fuerit curſus cum laude peractus,
Et palma, & requies hunc ſine fine manet.
Hoc opus, haec omnis noſtrorum eſt ſumma laborum:
Vae qui diuerſo tramite carpit iter.
Nos igitur iam nunc te praemia remur adeptum,
Tum proprijs meritis, tum miſerante Deo.
Si quid & obſtat adhuc, te iuſta haec ritè ſoluta
Credimus, ac humiles poſſe iuuare preces.
Atq; ita dum prodeſſe tibi certabimus omnes,
Triſtitiae id nobis dulce leuamen erit.
Nec iam te amiſſum, ſed praemiſiſſe feremus,
Ac velut abſentem noſter adibit amor.
Quin tua vel ſemper nobis praeſentia ſiſtet
Ora, & te noſtris inſeret alloquijs.
Praeterea magnum ſolamen gloria praebet,
Quae clarum ſequitur nomen vbiq; tuum.
Et quae priſcorum melioribus aemula ſcriptis
Panxiſti egregio tot monumenta ſtylo.
Haec magis atq; magis per ſaecla futura vigebunt,
Sicq; tui magna parte ſuperſtes eris.

Quiſ-

Quiſquis enim Latij cultor ſermonis auebit,
Romani antiquum noſcere ius Populi,
Atq; magiſtratus, leges, ſubſellia, veſtes,
Et faſtos miris cuncta notata modis:
Perdiſcet facilè, tua docta volumina verſans,
Grandis & ingenij grande ſtupebit opus.
Attica item nobis per te Reſpublica nota eſt,
Iudaeae & mores, priſcaq; ſacra patrum.
Quid dicam Italici hiſtorias quanto ordine Regni,
Et ſtudio occidui ſcripſeris Imperij?
At numerare tuos, longum eſt, quos perlegit orbis
Iam libros, vel quos hactenus arca tegit.
Prodibunt omnes: quis enim ſic inuidus auſit
In commune bonum non reſerare manus?
O me felicem, cui iam percurrere partem
CAROLE *te viuo, teq; iubente datum eſt.*
Vſqueadeò mihi largus eras, & comis amicus,
Quo mage par fuerit, ſim memor ipſe tui.
Sed videt ille meam, qui nouit & omnia, mentem,
Fors Caeli è ſpecula tu quoque cernis eam.
Nomen ibi, & tua ſic infixa manebit imago,
Vt non inſculpi firmius ære queat.
Hi verò exigui verſus me vicunq; ſupremum
Munus amicitiae praeterijſſe negant.

In eiuſdem effigiem.

COTIDIE *plures homines naſcuntur, at verum*
SIGONIVM *raro ſecula plura ferunt.*

Ad BALTHASAREM FINIVM.

EXIGVOS *numero, at multo candore refertos,*
Vndiq; & vndantes nectare, & ambrosia,
Accepi exultans, FINI *dulciſsime, verſus*
Sincerae gratum pignus amicitiae.
O quae, illos relegens, tacitè ſum corde locutus,
Dum mentem inde tuam miror, & ingenium.
Illam tam noſtri memorem, crebrisq; benignè
Certantem officijs me cumulare ſuis.
Hoc adeò praeſtans, & carmina pangere felix
Perlepido, ac facili, multiplicíq; ſtylo.
Tum mea, quae longas poſſent implere tabellas,
Annuerat grates dicere Muſa tibi.
Saepius at dudum reſcribere plura parantem,
Et verba, & numeri, deficiuntq; modi.
Sic mihi deſuetudo, & mollis inertia ſenſim
Caſtalij guſtum ſurripuit laticis.
Si tamen illo vnquam tinxi labra arida fonte,
Illius aut me vllo tempore cepit amor.
Tu verò ne dum haec oculis, ſed acumine mentis
Luſtrans, pagella perlege multa breui.
Vincentius Gerius Piſtorienſis. *Praeſertim hoc vnum (*GERIO *mihi teſte vicißim)*
Quòd totus iam animo ſum, ſtudioq; tuus.

In horologium Solare.

NEQVICQVAM *Solis curſū ſpeculatur, et horas,*
Quiſquis inutiliter tempus abire ſinit.

DESINE

Ad IVLIVM CÆSAREM IOANNINVM.

DESINE *mordaci contractam frigore Musam*
Carminibus crebris solicitare meam.
Quin potius fomenta mihi impertire poesis,
Quae solet in Veneto condere cella cado.
Cretica namq; hodie dederis si vina, trecentos
Versiculos summo cras tibi mane dabo.

De Vite Cupresso adiuncta.

LETHIFERA *en etiã gaudet te Bacche Cupressus,*
Et tua se circùm serpere dona sinit.
Forsitan inuisum gestit deponere nomen,
Laetior & fieri palmite iuncta tuo.

Citrus arescens sub Cupressu:

SI *mihi lethalis superimminet arboris vmbra,*
Quid mirum, non me posse virere diu?

In Laurum.

ET *serere hanc laurũ, & crescentẽ Phoebe tueri,*
Hactenus Antiphili sedula cura fuit:
Dum potuit sperare, nouis vt versibus olim
Emerita hinc victor serta referret Acon.
Sed quoniam ille tuas artes, & praemia spernit:
Pace tua haec auibus postmodò nidus erit.

Ad BALTHASAREM FINIVM.

EXIGVOS *numero, at multo candore refertos,*
Vndiq; & vndantes nectare, & ambrosia,
Accepi exultans, FINI *dulcissime, versus*
Sincerae gratum pignus amicitiae.
O quae, illos relegens, tacitè sum corde locutus,
Dum mentem inde tuam miror, & ingenium.
Illam tam nostri memorem, crebrisq; benignè
Certantem officijs me cumulare suis.
Hoc adeò praestans, & carmina pangere felix
Perlepido, ac facili, multipliciq; stylo.
Tum mea, quae longas possent implere tabellas,
Annuerat grates dicere Musa tibi.
Saepius at dudum rescribere plura parantem,
Et verba, & numeri, deficiuntq; modi.
Sic mihi desuetudo, & mollis inertia sensim
Castalij gustum surripuit laticis.
Si tamen illo vnquam tinxi labra arida fonte,
Illius aut me vllo tempore cepit amor.
Tu verò ne dum haec oculis, sed acumine mentis
Lustrans, pagella perlege multa breui.
Vincentius Gerius Pistoriensis. *Praesertim hoc vnum (*GERIO *mihi teste viciſsim)*
Quòd totus iam animo sum, studioq; tuus.

In horologium Solare.

NEQVICQVAM *Solis cursū speculatur, et horas,*
Quisquis inutiliter tempus abire sinit.

DESINE

Ad IVLIVM CÆSAREM IOANNINVM.

DESINE *mordaci contractam frigore Musam*
Carminibus crebris solicitare meam.
Quin potius fomenta mihi impertire poesis,
Quae solet in Veneto condere cella cado.
Cretica namq; hodie dederis si vina, trecentos
Versiculos summo cras tibi mane dabo.

De Vite Cupresso adiuncta.

LETHIFERA *en etiã gaudet te Bacche Cupressus,*
Et tua se circùm serpere dona sinit.
Forsitan inuisum gestit deponere nomen,
Laetior & fieri palmite iuncta tuo.

Citrus arescens sub Cupressu.

SI *mihi lethalis superimminet arboris vmbra,*
Quid mirum, non me posse virere diu?

In Laurum.

ET *serere hanc laurũ, & crescentẽ Phoebe tueri,*
Hactenus Antiphili sedula cura fuit:
Dum potuit sperare, nouis vt versibus olim
Emerita hinc victor serta referret Acon.
Sed quoniam ille tuas artes, & praemia spernit:
Pace tua haec auibus postmodò nidus erit.

Aliud.

HANC iterum Antiphili ſeruat cuſtodia laurum,
Et ferrum, & nocuas hinc vigil arcet aues.
Quãdoquidẽ ad magnas illũ ſpes firmat Aconis
Ingenium. hoc etiam ſit tibi Phoebe ratum.

Aenigma de Iuſculo concreto, vulgo dicto, Gelatina.

PRIMVM durus erã neruus: dein munere Bacchi
Mollitum condit me crocus, atq; piper.
Tum nitidae Veneris teter fuligine coniux
Diſſoluens in ius me violenter agit.
Iupiter at gelidus rurſus conſtringit in vnum,
Perſpicuumq́ vitri donat habere decus.
Ingluuies. *Demum Scylla vorax rabido ſub gurgite mergit.*
Quòd ſi me inuenies, Oedipus alter eris.

Ad AVGVSTINVM BRVNVM.

CVR Carneualem tempus geniale vocemus,
Quaeritur, & quidnam vox velit iſta ſibi.
An quia tunc venit caro cariusʔ improba quãdo
Ingluuies ventrem tunc mage carne replet?
An quia poſt paulò ieiunia ſacra recurrent,
Quo ſanos veſci tempore carne nefas:
Non ſecus ac dulcem ſi quis dimittat amicum,

Dicimus

Dicimus & carni, iam caro amica vale.
An quia (& haec vtinam ratio non verior esset)
Tunc validae carnis praeualet imperium?
Ipsum hominem, ritu Patrum, voco nomine carnis:
De pecudis tantùm non ego carne loquor.
Haec caro quid valeat; quae ve illis cura diebus
Sit potior, cuiuis satq; superq; patet.
Nec mihi nunc animus Satyram contexere suadet,
Conscia quem miserè propria culpa premit.
Sed passim dat signa caro, tunc oppida & agros
Vt vexet foedis imperiosa modis.
Haec tibi, BRVNE, Gigas ludebat seria; nunc tu
Candidus imperti, si melius quid habes.

IVLIANI GIRALDI Ad ANTONIVM GIGANTEM.

TEMPORIS antiqui, sileat fera turba Gigãtum:
Nam nouus est nostro fortior orbe Gigas;
Magno illos magnas habuisse in corpore vires,
Montibus & Montes imposuisse ferunt;
Non potuere tamen veluti mens vasta ferebat,
Culmine Sidereas exuperare domos;
Hic, animi egregio praeclarus robore, Montes
Montibus impositos, sic super alta tulit,
Sidereum vt superent orbem, penetrarit & ipse
Sidereas sedes, Sidereasq; domos;
Ergo nouo antiqui cedant nunc iure Gigantes,
Cedere quando animo corpora iure decet.

QVALIS

Ad IVLIANVM GIRALDVM.

QVALIS qui ſolitus quondam florente iuuenta
Ad ſtrepitum citharae molle mouere latus.
Mox ſenio inualidus iuuenum ſi forte choreas
Spectet, vel notos hauriat aure ſonos:
Saltantum geſtus animo comitatur, & ore,
Nunc humeros quaſſat, nunc pede pulſat humum.
Talis & ipſe tuae ad cantum, GIRALDE, camoenae
Haec luſi calamo carmina pauca rudi:
Pro numeris numeros vtcunq; referre viciſſim
Dum conor: vetuit nam reticere pudor.
Agreſtis ſiquidem ſpeciem praeferre videbar.
Ni tibi amicitiae mutua ſigna darem.
Sunt tamen iſta tuis longè inferiora, ſed aurum
Ferrea nequaquam fundere vena poteſt.
Quòd ſi aliquis nimium blandus, nomen vè Gigantis,
Grande ſonans, at vim Pumilionis habens
Impoſuit tibi, quo ſublimem ad ſidera tolli
Cenſueris dignum, qui malè ſerpat humi:
Haud tu te falles, iuuenis lectiſſime, ſi me
Totum animo, ac ſtudio reberis eſſe tuum:

Ad FABIVM ALBERGATVM, virum clariſsimum.

FELIX, qui laxas linguae moderatur habenas,
Sermo vt inutiliter nullus ab ore fluat.

Atqui

Atqui ego non is ſum, vir praeſtantiſsime. quin ò
Felicem, haec ſi me noxia ſola premat:
Quòd ſi ſolicitus, noſtri cùm docta Sigoni
Conquererer nimium ſcripta latere diu,
Dixi aliquid, tibi quod fuerit fortaſſe moleſtum?
Poenitet, ac potius conticuiſſe velim.
Me tamen ingenua credas tunc mente locutum;
Quanquam animi haud ſemper promere ſenſa decet.
At veniam tandem poſcens erraſſe fatebor,
Et quiduis faciam, perpetiarq́ libens:
Dum nec amicitiae vinclum res vlla reſoluat,
Mutuus in nobis nec minuatur amor.

In Obeliſcum Vaticanum.

IMMENSAE *molis lapidem, quem magna ſecundò*
Erectum tanto Roma ſtupore videt:
Auricomo votum Phoebo ſacrauerat olim
Fertilis Aegypti vana ſuperſtitio.
Tempore poſt longo Tyberina ad litora vectum
Auguſtis patri Caius, auoq́ dicat.
Sed meliore pium auſpicio tranſlatus in vſum,
SIXTI *operum* QVINTI *poſtmodò teſtis erit.*
Felici imperio cùius ſurgebat in ampla
Hac platea, extollens ſigna beata Crucis.
Dum Princeps idem purgat latronibus agros,
Et Vaticanas prouidus auget opes.
Atq; vias ſternit maiora ad templa patentes,

Longin.

Longinquo & priſcas fonte reducit aquas:
Dumq; alios Vrbi ornatus molitur, & Orbi,
Maxima ſolerti commoda mente parat.
Hae tibi ſemper erunt artes, Pater optime SIXTE,
Haec ſtudia ingenij ſunt memoranda tui.
Sic ille in terris felix tibi proroget aeuum,
Claudere qui Caelos, & reſerare dedit.

LATINO LATINIO ALOYSIVS AMORINIVS.

Camillus Palæotus.

QVAS *tulit apricis Argenti villula campis,*
En oleae, ne ſperne, tui ſunt dona Camilli.

LATINIVS AMORINIO.

IMMATVRA *nimis lecta eſt, me iudice, oliua,*
Argentina mihi quam miſit, grata Camillo.

AMORINII nomine ANTONIVS GIGAS.

DVLCIS *ab ore fluit ſermo tibi, dulcis & ipſe*
Es totus, ſunt & dulcia amica ſeni:
Hinc guſtum exiguus tibi torſit amaror oliuae;
Quem tamen Hiſpanus, totaq; Roma probat.

LATINIVS.

NVLLVS *ineſt oleis, qui nos offendat, amaror,*
Sed quae dura nimis, ſicca, & acerba caro eſt.
Quam vix conficiunt praeſtantes robore dentes,
Aut poſſunt tenuem demere ab oſſe cutem.

Quae

Quae ſi poſt paulò legeretur adultior, eſſet
Grandior ipſa caro, gratior ipſe ſapor.
Hanc facile & dentes iuniorum, & pigra ſenectus
Conficeret, genitis viribus orba licet.
Haec ſi ſeruetur ratio, maturior ipſa
Protinus haerentem reſpueret nucleum,
Dulcior ac tenero fieret de corpore guſtus,
Et ſapidae carnis copia grata magis.
Pendeat in finem librae ſatura vbere matris
Filia, ſi noſtrum conſilium ſequeris.

GIGAS.

TANDEM *Argentinae didici quid deſit oliuae,*
Dentibus atq; tuis cur minus apta fuit.
Quòd tamen ante aliter ſenſi, fit amabilis error,
Quin male opinantem poenituiſſe piget.
Nomine quandoquidem hoc rurſus tua carmina legi,
Quae plura vt numero, ſunt mihi grata magis.
Ibunt & noſtro gratiſſima dona Camillo,
Qui magni, vt ſemper, te facit, atq; tua.
Excipietq; libens oleae praecepta legendae,
Non ſecus ac magnus ſi daret illa Maro.
Cernere iamq; illum videor per aprica vagantem
Rura, oleam, flores quae magè laeta ferat,
Deſignare oculis, tum ſic mandare colonis:
Huic cultum, huic animos, huic adhibete manus,
Grandior vt foetus ſit; ſed poſtrema legatur;

Edicam vobis ipſe, vbi tempus erit.
Dein bacas ritè ancillis curare iubebit,
Nec ſpernet coniux ipſa miniſterium.
Vt quas tam lepido praeſcribis carmine dotes,
Lecta ſuo referat tempore oliua tibi.
O vtinam praeſens Paleoto haec dicere poſſes,
Inq; Argentinis collibus ire comes.
Gaudia quanta forent: vt eum oſtendiſſe iuuaret
Multa, ibi quae ſolers eſt operata manus.
Ordine diſpoſitas plantas, topiaria, & hortos,
Proſpectu & vario compta, quadra, vias.
Tum pinus longa ſerie paſſim, atq; cupreſſos,
Quantas Felſineus non ager omnis alit.
Inſpiceres & apum vitrea illa aluearia, ſcriptis
Melliſluis pridem concelebrata tuis.
Denique ni tabulas illic, & ſigna requiras,
Aut largos fontes, marmoreasue domos:
Te villae, atq; agri modus oblectaret amoeni,
Et cultus ſimplex, munditiesq; loci.
Omnia in obſequium tibi tunc geſtire videres,
Et fieri aduentu cuncta ibi laeta tuo.
Sed quid ego Argenti nimio pellectus amore
Te Pater illepida garrulitate moror?
Cur deſiderio grandaeuum inſtigo recenti,
Inualidum & longas hortor inire vias?
O ſaltem liceat mihi te quandoque per Vrbem,
Pratenſi aut tecum rure LATINE *frui.*

Cùm

Cùm tepidi referet tibi vires aura Fauoni,
Et pratis flores, arboribusq; comas.
Vt dulci alloquio dulcis recreabor amici,
Quo caruisse diu saeua coegit hyems.
Nuncq; etiam obsistunt operosa negotia, ne te
Saepius inuisam, conueniamq; domi.
Sed tunc praesentes dicemus plura vicissim:
Mutuus interea saepe loquatur amor.

LATINIVS.

IAM tua dulce sonans numeroso carmine Musa
Me, fateor, tandem reddidit Harpocratem.

LATINIVS.

SI in pugnam reuocas senem
Iampridem sterilis carminis aridum,
Vt victor referas tamen
Cedentis spolia, ecquid tibi gloriae
Hinc sperare potes nouae?
Cùm te Romulidum nobilium chorus
Vnum censeat aemulum
Iam nunc, quos celebrat fama superstites,
Priscorum merito, ac parem?
Quare parce, precor, vincere debilem
Confectum senio virum,
Et fortis validum carmine prouoca.

GIGAS.

DVM tu ais Harpocrates fio, facunde Latine,
Me tacite inclamas, Cherile dure tace.

GIGAS.

NON, si carmine prouocem
Cultorem Aonij vel minimum chori,
Sparsas canicie comas
Sperarem viridi cingere laurea:
Qua te ergo Pater audeam
Spe, quo consilio sponte lacessere,
Tot virtutibus inclytum,
Et palmis toties clarum Heliconijs?
Ah ne magnanimum sinas
Vt cor suspicio tam subeat leuis.
Quòd si nostra loquacibus
Aures Musa tibi versibus obtudit:
Indulge facilis, precor,
Poscenti veniam: siue seuerior
Mulctandam fore censeas;
Quicquid protuleris, perferet ac lubens.

LATINIVS ad se ipsum.

QVAM per Amorinum deceptus nomine pugnam
Credideras ortam, dum leuis illa fuit,
Haec tibi cum valido vere est suscepta Gigãte,
Cui

Cui quamuis validus, par tamen esse nequis:
Si sapis ergo manus iam nunc da sponte Giganti,
Ne victus media turpiter Vrbe cadas.

GIGAS ad seipsum:

DONEC Amorini poteram latitare sub armis,
Audebam validum signis adire virum.
Nũc quãdo in cãpũ vocor, et certamen apertũ,
Non sum, qualis eram, fronte, animoq; Gigas.
Quò me igitur vertam? vestigat cuncta Latinus:
Nempe est difficilis res, dare verba seni.

GIGAS.

GARRVLA sic quõdã Cygnũ obiurgabat hirũdo,
Dum circum fluuios haec volat, ille canit.
Cur tu non hominũ coetus, & tecta frequẽtas,
Horrida sed vitam per loca solus agis?
Si cantu polles, atq; hoc te nomine iactas,
Cur nunquam resonat cantus in Vrbe tuus?
En ego te multò duco ciuilior aeuum;
Nam siue in parua nidificare domo,
Seu libet in magna, aut Regum laquearibus aureis,
Seu Diũum in Templis, omnia tuta patent.
Ipsos praeterea mortales saepe salutans,
Leniter oblecto gutturis arte mei.
Vix illi Cygnus, quamuis responsa negare
Maluerit, dulci talia voce refert.

Quàm

Quàm libet obnixè ſtudeas vrbana videri,
Non tamen inde tibi conciliatur amor.
Quin grauis in te omnes odij dant ſigna, modisq;
Mille aditu prohibent te, domibusue fugant.
Et famulae oderunt, quando labor additur illis,
Tergere quae impuris obruis ipſa notis.
Quòd ſi aliqui te impune ſinunt volitare per aedes,
Non querulae haec laus eſt vocis hirundo tuae;
Mitis at illorum ingenij: cùm te tamen vltrò
Nemo blanditijs in ſua tecta vocet.
At mea conditio tanti eſt, vt ſaepe relicta
Vrbe homines ſyluas, ſtagnaq; ſponte petant,
Longa audire modos dantem per colla canoros:
Quanquam haec inuitus te ſtimulante loquor.
Nunc quid fabellae tandem ſub imagine priſcae
Me tardum ingenio Pieri cara mones?
Nunquid vt inculto doctum vexare Latinum
Carmine deſiſtam? dic, precor, iſtud agis?
Annuis, agnoſco id ſignantem in fronte pudorem:
Atqui non ſurdis auribus iſta canis.
En calamum pono, rauca vt cornice ſilente
Poſtmodò more ſuo concinat albus olor.

Ad ASCANIVM LIBERTANVM Callenſium Epiſcopum.

ASCANIVM viridi inſigniuit Roma galero,
Fama volans Patriae nuntia laeta refert.

Publica

Publica laetitiae confeſtim ſigna parantur,
Hinc pulſa ex altis turribus æra ſonant.
Inde caua ingenti reboare metalla fragore,
Igne micare vias, luminibusq; domos.
Sacra cohors, populusq; frequens concurrit in aedem,
Inq; vicem laudant organa, & ora Deum.
Et LIBERTANAE *ſtant paſſim inſignia gentis,*
Illiusq; decus quiſq; ſuum eſſe putat.
Tùm verò affines quo ſenſu credis, & ore
Cernere, & audire haec nos potuiſſe tuos.
O dilecte mihi, vt ſemper, iucundeq; frater,
Nunc etiam ò domine, ac mî venerande Pater?
Foemineas voces tecum ipſe, & verba, preceſq;,
Iubila, lacrymulas & meditare pias.
Praecipuè noſtras optant nunc viuere Matres,
Laetitiamq; ſimul participare nouam.
Ipſe quidem tot laeta videns, laetiſſimus ad te
Mente adij, laeto plurima corde loquens.
Nuncq; eadem breuiter laeta dictante Camoena,
Abſentem abſenti ſignificare iuuat.
Nempe tibi ex animo oblatum gratabar honorem,
Quem te gaudebam iam meruiſſe diu.
Namq; (vtcunq; alij credant) haec gloria ſumma eſt,
Virtute, ac meritis anticipare decus.
Gaudebam & campum modò te reperiſſe patentem,
Quo tua ſe pietas exeret inde magis.
Et candelabro velut alto impoſta lucerna,

Diſpelli

Dispellit tenebras, exhilaratq; domum;
Sic te Callensi iam cernere in Vrbe videbar,
Voce, opere, exemplo cominus, atq; procul
Fulgentem, vt plures tua per vestigia rectum
Ad superas arces ingrediantur iter.
Scilicet hoc opus, hoc studium, atq; haec sedula cura
Mox tibi commisso pro grege Pastor erit.
Vnde ouium maior numerus caelestia carpat
Pabula, & aeternae flumina potet aquae.
Ac tibi supremo in censu Rex CHRISTVS *honorem*
Ampliet, & stabili det requiete frui.
Interea validum te mente, & corpore seruet,
Fortior vt sacrum munus obire queas.

De ANNIBALE MARESCOTO Excellentiss. Iuris Cons. Bononien. ad Firmanum Gymnasium euocato.

QVAE regio tantum splendorem protulit orbi,
Nedum Romae ingens, Italiaeq; decus;
Illa etiam, par est, cumuletur vt vndiq; honore.
Quo magè Piceni fama celebris eat.
Maximus hinc SIXTVS, *patriae telluris amore,*
Munera gratus ei magna subinde refert.
Quodq; aliis praestat, studiorum, nobile Firmum,
Gymnasio illustrat te, titulisq; nouis.
Nimirum felix Alti vicinia Montis
Addidit haec meritis nunc decora alta tuis.

Ergo

Ergo Mareſcottum doctrina & ſanguine clarum,
Et culti inſignem dotibus ingenij;
Qui patriam pro te linquens, carosq́ parentes,
Ad cathedras properat iuſſus adire tuas:
Excipe vel gaudens, & ſponte, diuq́ cupitum
Certatim ſtudijs, officijsq́ cole.
Quandoquidem ſeſe quicquam praeſtantius illo
Felſina docta tibi mittere poſſe negat.

Ad CAMILLVM PALAEOTVM Senatorem Clariſs. Conuiuio excipientem multos doctrina inſignes viros, cum floribus ſericis à Franciſca Fontana Excellentiſs. Vlyſſis Aldrobandi vxore dono miſſis.

AONAS in montes cùm primum nuncia venit,
Fama, ferens tantos hîc coijſſe viros.
Doctrina, ingenio, calamo, et ſermone potẽtes,
Quot, qualesq́ alibi non habet vlla domus.
Mira chorum Phoebi ſubijt, dulciſq́ voluptas,
Quam non vlla hominum lingua referre queat.
Certatimq́ nouem coeperunt laude ſorores
Cultorem in Caelum tollere quaeq; ſuum.
Legibus hic, Sophia ille valet, valet ille medendi
Arte, hic aſtronomus, ille poeta bonus,
Deniq; cunctorum decies repetita vocarunt
Nomina cum plauſu: laus ſua cuiq; fuit.

Patronum verò coetus, doctumq́, probumq́
Omnes laudabant ore, animoq; simul.
Tum Phoebus; Quonam ille igitur donatus honore
Se nobis hodie tam placuisse sciet?
Dixit, & hanc laurum, quam circum symbola Musæ,
Et flores manibus composuere suis,
Extemplo huc iussit me ferre, & pauca prosari:
Ergò alacri munus, verbaq́, fronte cape.
Iure tibi haec arbor Paleote diserte dicatur,
Haud vllo virides tempore tonsa comas;
Nam tu virtutis cultor, virtutis amantes
Vsq; foues, magni pendis, amasq́, viros.
Quo plures igitur carpent hinc te auspice serta,
Hoc meriti fuerit plus, decorisq́, tibi.

Ad IVLIVM CAESAREM LALATAM Priorem Parmensem.

QVAE res, quod studiũ, series quàm lõga dierũ,
Conciliet, foueat, firmet amicitiam:
Edoceat, veterum referens præcepta sophorum,
Doctrina insignis BALDVS, *& ingenio.*
Me iuuat interea, illustris LALATA, *probare,*
Quae tu perlepido stringis epistolio.
Nempe quòd exiguo licet ortus tempore, & vsu,
Sit noster tanti, quàm diuturnus amor.
Mutua namq; breui potis est implere voluntas,
Quod multi poterant apposuisse dies.

Camillus Baldius Excellen. Philosoph. Bonon.

Quam

Quam praefers igitur mentem in me ſponte benignam,
Laudo, & amo, vt par eſt, excipioq; libens.
Iucundè, & ſemper mihi lux memorabitur illa,
Cernere qua primum te, alloquierq; datum eſt.
Nobilibus iuuenem ſtudijs, & ſanguine clarum,
Moribus at iam nunc, & grauitate ſenem.
Quod niſi te fuerim redamare obſtrictus amantem,
Virtutis merito cogar amare tamen.
Illius ſiquidem vis tanta eſt, vt quoq; poſſit
Abſentum miris nectere corda modis.
Quare & noſtra tibi venit hæc pagella vicißim,
Syncerae, ac ſtabilis pignus amicitiae.
Sicq; velim credas, quiduis prius eſſe futurum,
Quàm te diuelli pectore poſſe meo.

In Muſæum Excellentiſs. Philoſophi VLYSSIS ALDROBANDI Bonon.

NATVRAE, atque artis tot rerum millia in vna
Res certè mira eſt, cernere poſſe domo. (ptu,
Sed mage mirandū eſt, haec vnius omnia ſum-
Ingenio, ac ſtudio parta fuiſſe viri.
Quòd verò haec vnus ſimul omnia mente recondat,
Multiplicíq; memor nomine, quaeque vocet;
Vt videt, atq; ſtupet praeſens, ſic forſitan ætas
Poſtera narranti eſt ægrè habitura fidem.
Cuncta tamen cunctis haec ALDROBANDVS VLYSSES
Re, voce, & calamo vera fuiſſe probat.

Aliud.

QVI miranda cupit Naturae plurima noſſe,
Non opus eſt, longum currat anhelus iter.
Muſæum hoc tantùm luſtret, dominoq; docēte,
Qui voce, & ſcriptis quemque iuuare ſtudet,
Tot rerum addiſcat formas, & nomina, Graïj
Quot norunt, Arabes, Heſperijq; ſimul.
Inde abiens dicat, verè orbis totius inſtar
Docti Aldrobandi mî domus vna fuit.

Ad GABRIELEM PALAEOTVM S. R. E. Cardinalem, & Bononiæ Archiep. In obitu Camilli maioris natu fratris.

NON quia praeclari fratris te morte dolentem,
Cōcuſſum ve adeò, ſuſpicer eſſe, Pater;
Molli vt amicorū indigeas ſolamine vatum,
Noſtra ideò nunc te muſa licenter adit.
Quin magis vt ſeſe moerori obſiſtere inertem,
Diſcat ad exemplum compoſuiſſe tuum.
Nimirum exterius vultum, ſcio, cernet eundem,
Iſq; habitus index interioris erit.
Multa vbi germani virtus, probitasq; recurrens,
Triſtitiae, & curis non ſinet eſſe locum.
Nam bene pro patria exhauſtos memorare labores

Dum

Dum iuuat, & purè vita peracta ſubit:
Illi etiam aeternam ſpe deſignare quietem,
Praemiaq; in caelo, fas erit, atque pium.
Qui verò haec animae contingere credat amicae,
Cur gemitu cruciet cor, lacrymisve genas?
Nunquid eam cupiat moribunda in membra reuerti,
Et plenum aerumnis currere rurſus iter?
Sed te plura ſacrae Sophiae de fontibus hauſta,
Mente, reor, placida voluere, & ore loqui.
Qualia nempe decet vir ſentiat intus, & extra,
Cui ratio praeſes cordis, & oris erit.
Tu tamen aduerſis rerum conſtantis in vndis
Pectoris, haud primùm nunc documenta dabis.
Non ignota loquar: ſiquidem reminiſcor, vt olim,
Fortiter Euſtorgi funera pertuleris. Minor natu frater.
Cùm tu alios potius ſolando; Afri illa ſubinde
Verba recenſeres Praeſulis eximij;
Qui veluti amiſſos nobis non eſſe monebat S. Cyprianus de mortalitate.
Lugendos, quos mors omnibus aequa rapit.
Sed magè laetandum illis ad caeleſtia regna
Praemiſſis, viuunt ſummo vbi cuncta Deo.
Nuncq; mihi illa tuae vocisq;, & frontis imago
Sic animo occurſat, auriculasq; ferit;
Vt deſiderio tanti licet angar amici,
Lenimen praeſens hauriat inde dolor.
Praeſertim cùm tu vigeas Patrone ſuperſtes,
Praecipuum noſtri praeſidium, atq; decus.

Quem

Quem Romae, & patriae donis caeleſtibus auctum
CHRISTVS, *& incolumem det ſupereſſe diù.*

In obitu clariſs. viri CAMILLI PALAEOTI Senatoris Bonon. qui obijt die 6. Martij. 1594.

HIc *Paleote iaces, illuſtri functę ſenecta,*
Et magnis magnae muneribus patriae.
Nunc tibi quae aeternũ cõtingãt præmia, vita
In commune bonum nauiter acta docet.

Aliud.

CVm *tua vel ſtudijs virtus, vel rebus agendis*
Te mille ornaret laudibus, ac titulis;
Tu tamen hoc vno vixiſti, & laetus obiſti,
Quòd peramans patriae nomine, req; fores.
Iure igitur teſtantur idem monumenta ſepulchri,
Praeq; ferunt paucis multa legenda notis.

Aliud.

QVo *tua vita fuit compluribus vtilis, hoc te*
Plures extincto nunc Paleote gemunt.
Patria praeclarum Ciuẽ, Columenq; Senatus,
Patronumq; cliens, hoſpes, inopsq; dolent.
Teq; Academiae fautore queruntur adempto,
Et quiſquis Phoebi eſt cultor, & Aonidum.
Deniq; amicorum gemitus, fletusq; tuorum

Tam

Tam multos, calamo quis memorare queat?
Sic bene de cunctis te promeruisse iuuabat,
Et carus viuens omnibus vnus eras:

Ad OCTAVIVM BANDINVM Prolegatum Bononiæ.

QVICQVID sacra piis animis solennia Paschae
Interius pacis, laetitiaeq; ferunt;
Vt tibi discupio longos contingere in annos,
Sic Deus omnipotens annuat esse ratum.
Externum verò decus, & virtutis honores,
Non tam aueo amplificet maxima Roma tibi,
Quàm laetor, iam te pridem Bandine mereri:
Namq; probi haec verè est gloria summa viri.

In Amicos donis, salibusq; inter se certantes.

NOBILE amicorũ par, quales cãdida Virtus,
Et sancta aeterno iungit amore fides,
Dum lepidis certat donis, salibusq; vicissim,
Complures sellas cùm daret alter, ait.
Vnam maluerim tibi sedem aptare merenti,
Qua residens toto summus in orbe fores.
Arcam alter donans, clauem praemisit, & inquit,
Hanc cape nunc, geminam post tibi Roma dabit.
Sic paribus votis animae laetantur amicae,
Inq; vicem officijs se, studijsq; fouent.

PERETE

Ad ANDREAM PERETTVM Collegij Montis alti Rectorem, Bononiæ.

PERETTE Illustris, te SIXTI sanguine Quinti
Quisquis vel tantùm nouerit esse satum:
Magna animo de te & studijs, & rebus agendis
Concipiet: nec spe res erit ipsa minor.
Qui verò mores q; tuos spectarit, & actus,
Audierit q; graui verba lepore lita:
Hoc regimen, tibi quod felix, faustum q; precamur,
Non modo par meritis sentiet esse tuis:
Sed quodcunq; olim tibi deferet inclyta Roma,
Iam nunc te dicet promeruisse decus.

In sacram effigiem S FRANCISCI.

FLAGRARIT quanto CHRISTI Franciscus amore,
Vberius calamo Stigmata sacra docent.

In effigiem IGNATII LOIOLAE Institutoris Societatis IESV.

IGNATI venerande, tuae pietatis alumnos
Humanum vtiliter spectat vbi q; genus.

In effigiem PII Papae Quinti.

PONTIFICVM prisci exemplum venerabile secli
QVINTVS hic est verè nomine, re q; PIVS.

QVA-

In effigiem VRBANI Papae VI.

QVALIS *hic in Petri ſolio, quantusq; fuiſſet,*
Vita ante acta docet, ſobria, iuſta, pia.

In effigiem STEPHANI Regis Poloniae.

NAE *Regale tibi decori eſt diadema; ſed ingens*
Addis ei eximijs dotibus ipſe decus.

In effigiem ALEXANDRI Card. Farneſij.

MAGNVM *magna decent: hinc tu quoq; grãdia ſem-*
Molirisq; animo, munificaq; manu. (*per*

In effigiem GASPARIS Card. Contareni.

NON *minus illuſtrem tua te facit inclyta virtus,*
Quàm Toga Romano murice tincta ſacro.

In effigiem REGINALDI Card. Poli.

QVI POLE *virtutesq; tuas, & neſcit honores,*
Is neq; Phoebaeum ſcit iubar eſſe polo.

In effigiem PETRI Card. Bembi.

NON *tua Romano Virtus ſit* BEMBE *ſub oſtro*
Maior; quin oſtrum ſit magis inde nitens.

In effigiem IOANNIS Card. Moroni.

MORONI *effigiem cernens, in rebus agendis*
Maieſtas viuo, conijce, qualis erat.

In effigiem GVLIELMI Card. SIRLETI.

QVAERITVR, an tua ſit probitas, doctrina'ue maior;
Nam retulit meritum purpura vtriq; decus.

In effigiem CAROLI Card. BORROMAEI.

HIC *opere oſtendit, quo ſe mortalia pacto*
Pectora viua queant templa ſacrare Deo.

In effigiem ALBERTI Card. BOLOGNETI.

TE *properè extulerat ſublimem candida virtus,*
Praeproperè at Lacheſis ſuſtulit atra manus.

Ad ALEXANDRVM BEROALDVM.

NI BEROALDE *notam perfricta fronte petentis*
Extimeam, eſt abs te quod petiſſe velim.
Sed reticens etiam vereor, ne dicar ineptus,
Cùm tu adeò largus ſis animo, atq; manu.
Ingenuè ergo loquar: binos mihi trade libellos,
Qui tibi ſunt duplices, meq; beaſſe puta.

In effigiem FRANCISCI PETRARCAE.

SALVE *delitiae Aonidum, atq; Heliconis Hetruſci*
Gloria Laureolam fronte, animoq; gerens.

In effigiem LAVRAE.

NVLLA *ex arboribus, queis ſe Peruanus, et Indus*
Iactat, perpetuò laurus vt iſta viret.

LIBER-

In effigiem ANDREAE DORIAE.

LIBERTAS *patriae, & naualia parta trophaea*
Aeternant nomen Doria in orbe tuum.

In Effigiem ALDI MANVTII ſenioris.

EN *bene de ſtudijs meritus: virtutis amantes*
Effigiem gratis aſpicite hanc animis.

In effigiem MICHAELIS ANGELI BONAROTAE.

SI *non Praxitelem, ſi non ſuperauit Apellem,*
Ambobus certè par Bonarota fuit.

In effigiem TRIPHONIS GABRIELII nobilis Veneti.

MORIBVS *vt puris referebas aurea ſecla,*
Sic victus ſimplex, & tibi cultus erat.

In effigiem LVDOVICI BVCCAFERREI.

FERREA *bucca tibi, nempè indefeſſa docendo;*
Senſa animi aſt referens, aurea bucca fuit.

In effigiem ROMVLI AMASAEI.

HIC *Cicero alter erat, verè omnes, Romule, dicē*
Qui vel te audierint, vel tua ſcripta legent.

De F. FRANCISCO PANICAROLA.

AMBIGITVR, *Phoenix vtrum ſit, & vnica in orbe:*
Sed verè hoc omnes aure, oculiſq; probant;

Quòd nec habet Soles geminos ſublimis olympus,
Nec Panicarolas infima terra duos.

In effigiem eiuſdem.

PRISCA *oratorum facundia lenijt aures,*
Sed tua nunc animis pandit ad aſtra viam.

Aliud.

NON *veterum ſcriptis quantum facundia poſſit,*
Sed proprio exemplo Panicarola doces.

In hortum. Lectori benè viuere, & lætari.

LECTOR *amice vides et formam fontis, & horti:*
Et potes his etiam, cùm libet, ipſe frui.
Feci ego, quod potui: non ergo Theſſala tempe
Hic animo verſes, Heſperidumve nemus.
Quin illam potius terram meditare beatam,
Nos primi vnde procul noxa parentis agit.

In Fontem.

QVI *bibis hanc, iterum ſities: ergo illius vndam*
Fontis ama, extinguit quae ſemel hauſta ſitim.

EX S. GREGORIO NAZIANZENO.

CVM *ſua cuiq; ſalus operanda eſt tempore in omni,*
Tùm mage ſuprema iam propiore die.
En ſenij praeco, tibi proſpice, clamat; abire
Tempus adeſt, fiet iudiciumq; breui.

MOLLI-

EX VGONE de S. VICTORE.

MOLLICVLIS animis ſua tantùm eſt patria dulcis:
At contrà patria eſt fortibus omne ſolum.
Qui verò patriae flagrant caeleſtis amore,
Dirum totus eis exilium orbis erit.

Votiua tabella.

ANTINOVS pictam, Caeli Regina, tabellam
Hanc tibi perſoluens debita vota dicat.
Quam pius inſpiciens hoſpes, te poſſe periclis
Eripere, atq; tuam poſcere diſcat opem.

In bonum Concionatorem.

DVM vitae Eulogius praebet ſe exéplar honeſtæ;
Chriſticolaſq; ſacris inſtruit eloquijs;
Vno ore acclamant omnes, verè optimus hic eſt
Doctor, qui quod nos edocet, illud agit.

In effigiem GABRIELIS Card. PALAEOTI.

SI virtute decus meruiſſe, eſt gloria vera:
Nempe quod eſt ſummum iam PALEOTVS habet.

In effigiem FERDINANDI MEDICIS Magni Ducis Hetruriæ.

PLVRIMA ſunt, meritò queis ſeſe Hetruria iactet:
Nil verò Magno te Duce maius habet.

QVOD

In effigiem CHRISTIANAE LOTHARINGIAE Magnæ Ducis Hetruriæ.

QVOD *poterat ſummum Thuſcis decus addier oris,*
Summa huius pietas, nobilitasq; dedit.

In effigiem FEDERICI PENDASII.

CERNITVR *effigies* PENDASI: *at mentis acumen*
Exprimere artificis dextera nulla poteſt.

In effigiem HIERONYMI MERCVRIALIS.

NON *hæc Hippocratis, ſed Mercurialis imago*
Par tamen amborũ gloria, & ingeniũ. (*eſt:*

Ad Diuites.
Excerptà ex libris Saluiani Maſsilienſis ad Eccleſiam Catholicam.

CVI *meditaris opes tantas poſt funera, Diues,*
Linquere? num hæc animum ſeria cura ſubit?
Haeredi. quis erit? natusue, nothusue, vel alter
Sanguine, vel nexu iunctus amicitiæ.
Forſan & ignotus: quid ni? dum inſignia gentis
Geſtando nomen proroget ille meum?
Quid ſi hæres, longo quæ ſunt tibi parta labore,
Turpiter abſumat, dilapidetq; breui?
Hei mihi, defuncto ſi quiſquam id nunciet, eheu

Quàm

Quàm doleam, miſeris diſcrucierq; modis.
Si ſapis ergò, feras tecum omnia. qui pote tantum,
Argenti, atq; auri ferre cadauer onus?
Ne dicam ſyluas, campos, vineta, domosq;,
Et quæ multa arcas pondere farcta grauant.
Perfacile id fuerit, totum qui ſuſtinet orbem
CHRISTVS, ſi accedat duxq;, comesq; tibi.
Quin vt eas leuior, cuncta illi trade ferenda,
Quo tu plura dabis, laetior ille feret.
Nec modo caeleſti cuſtos ea fidus in arce
Condet, quò nequeat fur penetrare malus;
Sed tibi perpetuò ſumma cum pace fruenda,
Munificus decies multiplicata dabit.
Ergo hilaris iam nunc illuc præmittere partem
Incipe, vt interea creſcat aceruus opum.
Non tibi vectores deerunt, ſed vbiq; paratos
Perq; vrbem plures, perq; videbis agros.
Scilicet ingentes inopum, miſerasq; cateruas,
Quas inter CHRISTVS forſitan ipſe latet.
Certè CHRISTVS eis data ſe accepiſſe fatetur,
An ne igitur CHRISTO non ſit habenda fides?
Da, dum tempus habes, animi ſic dilue ſordes,
Saepius & lacrymas adde, humilesq; preces.
Sic & diues eris viuens, & mortuus auctas
Inueniens, tecum ſemper habebis opes.

Ad ALEXANDRVM BVRGIVM Mutilianæ Priorem.

CVM tua te Virtus oras clarare per omnes
Sit potis, & clarum ferre per ora virûm?
Nunquid eos censes, quibus impertiris amorem,
Posse etiam decoris participare tui?
Quin caue, ne nostras frustra illustrando tenebras,
Lumen, BVRGE, tuum fulgeat inde minus.
Namq; & Phoebus humo nubem sustollit in auras,
Ast illi nitidum mox tegit atra iubar.

Ad Io. ANTONIVM ZANIVM.

DVLCE tuum nobis, ac magni muneris instar,
Sit licet exiguum, ZANI, epigramma fuit.
Non etenim versus numero, sed pondere mentis
Candorem, & mores, ingeniumq; bonum.
Omnia, quæ coràm mihi nota, libenter, & absens
Agnosco, inq; dies gratulor aucta magis.
Sic igitur pergas & me, patruumq; Camillum
Crebrò carminibus laetificare tuis.

In Epitomem PLATINAE de Vitis Pontificum. Ad Lectorem.

SVNT peregrinati compendia grata viarum,
Baiulus & gaudet, si minuatur onus.
Terrarumq; iuuat, tractus, atq; æquoris omnes
Distincte exiguo cernere posse globo.

Quid

Quid ni igitur placeant, paruo comprenſa libello
Omnia, quae Platinae grande volumen habet?
Hinc tibi & ingenium auctoris, ſtudiumq; patebit,
Et ſtylus, ò Lector, ſicut ab vngue leo.

CLEMENTI OCTAVO Pontifici Maximo Pro Bernardino Roſſato quondam famulo Genitoris eius Sanctitatis.

EN ſupplex quarto, CLEMENS OCTAVE, libello
Roſſatus ſacros audet adire pedes.
Annis ille grauis, proprio ſed non grauis ære,
Hincq; tuam toties poſcere pergit opem.
Prouideat, dixti iam ſaepè, Datarius; at mî
Nemo dedit. Fiat, dic iterum, atq; iube.
Da, Pater alme, tuum per nomen amabile ſeruo
Oranti auxilium, ſubſidiumq; ſeni.
Da per honorati famam, perq; oſſa parentis,
Cui ſcis, quàm aſſiduus nocte, dieq; fui.
Sic tibi Olympiadas plures Regnator Olympi
Annuat imperij dinumerare tui.

In Tumulum IOANNIS LEONARDI, vulgo dicti, Il LETTERATO. Obijt Romæ die 15. Feb. 1595.

SERVE *Dei, proprium tibi nomen iure dederunt*
LITERAE, *Euangelij namq; peritus eras.*

Quod ſermone rudem te opera ſeruaſſe fideli,
Teſtatur parui cura benigna gregis.
Teſtanturq; Vrbi noti ſine crimine mores,
Nec non vita piè, ac duriter acta diu.
Terram terra tegit: purae ſperare ſalutem
Nos animae æternam dogmata ſacra docent.

Aliud.

MVLTI multa ſciunt: hic omnia neſcijt Vnus,
Quae verbis hominũ culta Cathedra docet.
Re tamen expleuit ſacrae compendia Legis,
Quam puro inſcribit pectore dextra Dei.

Gratiarum actio pro munuſculis Cal. Ian.

O LEPIDAE, atq; animo dulces, oriq; Calendae,
Quae dono dulces tot mihi fertis opes:
Non ego vos albo tantum, de more, lapillo
Signo, ſed & grata mente recondo memor.
At ſchedula haec humilis largo, dulciq; Patrono
Pro magno exiguum munere munus erit.

De lepida Iuuenum concertatione Mediceorum Hortorum Cupreſſetum curſim aſcendentium. Romæ.

DOCTA cohors iuuenum ſtudijs certare viciſſim
Aſſueta, & culti viribus ingenij,

Mem-

Membra etiam exercens, molli tumulũ vndiq; ſeptum
Cupreſſis, curſu dum ſuperare ſtudet,
Qui prior aſcendit, comiti obſtat ponè ſequenti,
Et baculo oppoſito ſcandere ſumma vetat.
Illi autem contra nitenti irrumpere, dira
Sorte perexiguo eſt vulnere laeſa manus.
Saucius hinc ridet, gemit alter, & vltor eiſdem
In ſe armis ſocij diſcupit eſſe ſui.
Annuit optatis eadem ſors, namq; bacillum
Proïjciendo, ſibi laeſit & ipſe manum.
Riſit & hic plagam; at propriam qui riſerat ante,
Huius & ingemuit, condoluitq; vicem.
Sic vno vnanimes affecit tempore amicos,
Ac parili ſenſu laetitia, atq; dolor.

In Oculos CLOELIAE FARNESIAE.

CAELI Roma nouus fauor eſt, quòd copia tanta
Nunc niuis, atq; gelu tecta, viasq; tegat,
Non etenim tantum, quem latè ſuſcitat ignem
CLOELIA Luminibus Tranſtyberina ſuis,
Vna potis fuerat reſtinguere Tybridis vnda.
Perpetuam hanc hyemem Roma precare tibi.

Luſus in Naſum. Ad GASPAREM PVSTERLAM PAVLI CELOTI Foroiulienſis.

QVem reputas Puſterla mihi ſuccreſcere Naſum,
Euaſit nondum maior in Vrbe meus.

Si cauſam exquiras, paruo nil tempore Romae
Creſcere conſpicies, me neq; deſpicies.

Ad PAVLVM CELOTVM, ANTONII GIGANTIS.

QVi Naſum Romae iam nunc grandeſcere dixit
PAVLE tibi, verè Lynceus ille fuit.
Nam mole in tanta diſcrimen noſcere paruum,
Non quaeuis acies quibat, acuta licet.
Sed ſi paululum adhuc es permanſurus in Vrbe,
Hoc etiam lippis nomine notus eris.

Ad ANTONIVM GIGANTEM, PAVLI CELOTI.

ILLE quidem, noſtri quem non latet incrementum
Naſi, eſt, Antoni, Lynceus, & melius:
Cernere nam puro potis eſt quoque lumine, quantum
Amnibus Oceanus turgeat innumeris.
Quamq; aſtra immenſi lambentis inania mundi;
Vſq; hauſto mare ſint grandia facta magis.
Quidue dies rebus ſenſim creſcentibus addat,
Et molli è duris vna peredit aqua.
Haec potuiſſe, reor maius, quàm monſtra Gigantum
Excelſum aggeribus iam ſuperare Polum.

τῶν ῥινῶν ῥὶς.

Aliud ad eundem.

DVLCE decus noſtri, qui prominet ore pedalis
Naſus, prae ſe fert non genus hicce tuum?

Quod

Quod ſi conſpicua tantam geſtare daretur
Fronte tibi molem, qui pauor heù ſuperis?

Ad PAVLVM CELOTVM, ANTONII GIGANTIS.

VRSA, inquis, peperit: quid mirū? lābit. et hoc eſt
Naturae. abſoluit: prodeat. Ecce: quid eſt?
Naſus. monſtrū erit. isq; ingēs. mirabile dictu.
O Naſum ingentem. Roma vide, atq; ſtupe.

Ad ANTONIVM GIGANTEM, PAVLI CELOTI.

NEC peperiſſe Gigas Vrſam, nec lābere mirū,
Natura generis dicitur illa ſui.
Si Naſum fingit, mōſtri quid? lambitur Vrſus.
Expendas igitur verius, & melius.
Monſtra hominum genuit, peperit quae encomia Naſi,
Roma vides, tibi nec cauta times? ſtupeo.

Ad PAVLVM CELOTVM, ANTONII GIGANTIS.

SI verba ingenui non aſpernaris amici,
Intrepidè Naſum, Paule, recide tibi.
Dirum conſilium, dices: ſed reſpice finem,
Quò ſophus, vt tute es, cuncta referre ſolet.
Namq; alium forma pulchrum magis, atq; venuſtum
Talcotij reddet ingenioſa manus. Gaſpar Taliacotius excellen. Chirurg. Bonon.
Inde humor calamis ſiccabitur, ac tibi totus
Pulcher vt eſt animus, ſic quoq; vultus erit.

MVRVM

Ad ANTONIVM GIGANTEM, PAVLI CELOTI.

MVRVM oculos inter ducit Natura, genasq́;
Atq; arcem Naſum frontis, et oris habet,
Anguſtos muros, humiles ſi ſtruxeris arces,
Nil tutum, optato cunctaq́; fine carent,
Quo in latum creſcat, ſublimi vertice ſurgat
Naſus, nilq́; ipſo tutius, aut melius.

Ad PAVLVM CELOTVM, ANTONII GIGANTIS.

ROMA tuũ hoc propriũ eſt, naturae vt quicquid, et artis
Mirandũ, ex toto confluat orbe tibi.
Immenſae molis lapides hucuſq; ſuperſunt,
Plurimaq́; hiſtoriae monſtra fuiſſe docent.
Nunc etiam Tellus quod Iulia maius habebat,
Spectandum cunctis Paulus in ore tulit;
Scilicet ipſius Naſum; quem ſuſpice, & altos
Inter Obeliſcos grata repone tuos.

Ad ANTONIVM GIGANTEM, PAVLI CELOTI.

IVLIADVM Tellus formoſis inclyta Naſis,
Non ſecus (vt ſemper) vatibus atq; bonis:
Nunc miſit monumenta heroum viſere, Romam
Haec inter lepidos, quem lepidiſſimum habet.
Nil mage Apollineo hic ſe cernit carmine dignum,
Vnde oculos in ſe vertit, & ora hominum:
Geſtit teq́; ſuae laudis componere honores,

Et tuam in hoc crebrò iam crepuiſſe lyram.
Quas tibi agam grates, Antoni? quîvè rependam?
Carmina grata facis, carmina grata cape.
Celſa tui fruſtra tentarunt aſtra parentes,
Tu maiora. caue, deficias, moneo.

Eiuſdem ad Muſas.

HACTENVS haec Muſae; ſacros iam claudite fontes,
Vel cunctae in Naſi cedite delitias.

Ad IVLIVM CAESAREM STELLAM Romanum, in Aulam ALOYSII CARAFAE Sablonetae Ducis, & Oſtiliani Principis honorificis conditionibus euocatum.

IVLI Caeſar abis: doleam ne? an laeter? vtrumq;
Vno, eodemq; mihi tempore ſuadet amor.
Namq; meam ſi alia Stellam regione micantem
Mox oculis nequeam cernere, iure querar.
Triſter item, Cygnum quando exaudire canorum
Non dabitur, patrio dum volat amne procul.
Multiplici at contrà ſolans me nomine, curas
Protinus ex animo, triſtitiamq; fugo.
Dum mihi tam cari capitis tot commoda, honorumq;
Inſignes titulos commemorare libet.
Quos virtutis amans, & Phoebi cultor alumne
Pieridum eximijs dotibus ingenij

Conſpi-

Conſpicuo, Princeps clariſsimus obtulit vltrò,
Hoc quoq; dans animi nobilis indicium.
Quaerere namq; viros, digneq; fouere merentes,
Magnum eſt, ſed rarò conſpicit orbis, opus.
Quare etiam par eſt, tua, vates magne, CARAFAM
Maiori celeberet carmine Muſa Ducem.
Illius & nomen ſtudeat tot ferre per oras,
Fama Columbeidos quot peragrabit ouans.
Sic igitur gaudens te diſcedente dolebo,
Sicq; mihi per te dulcis amaror erit.
Vſque adeo praeſens oculos, animumq; vel abſens
STELLA *potes radijs exhilarare tuis.*

Ad GVLIELMVM SEPRAEVM Anglum Sacræ Theologiæ Doctorem.

NON ſurdũ alloqueris, bone mi Gulielme, ſodalẽ,
More tuo exemplis, voceq; recta monens,
Dũ grauiora doces legere argumenta camoenã,
Nempe ea, quae pridem tempora cana decent.
Illi igitur dixiſſe nouis me crede calendis,
Quas tibi det fauſtas, propitiasq; Deus.
Incipe Muſa nouos verſus, nouus incipit annus,
Quos multorum inſtar laudet, ameq; meus
Semper honorandus, ſemperq; SEPRAEVS *amandus,*
Tàm bene qui nobis conſulit, atq; piè.
Cui pauca haec curſim dictata ingentis amoris,
Propoſitiq; noui carmina pignus erunt.

ANTO-

Dialogus cum Angelo Custode.

ANTONI, *Antoni, te appello, atq; alloquor vnũ,*
Surge, audi, surdus num mihi semper eris?
Quæ vox tã validis implet clamoribus aures? Ant.
Infensus'ne hostis, an mihi amicus ades?
Fidus, amansq; tui (vanum depelle timorem) Ang.
Custos diuina sum tibi sorte datus.
Angele Sancte Dei, immemorem memor ergò reuisis, Ant.
Nec tanta infectum labe relinquis adhuc?
Ah miser, vt potero te deseruisse, salutis Ang.
Tanta mihi cùm sit credita cura tuae?
Tu verò ingratè nimium, nimiumq; scelestè
In me iam pridem te geris, inq; Deum.
Illum scis quoties, & quantis perdite noxis
Laeseris; horresces, si memorare velis.
Me quàm contristas crebrò, dum recta monentem
Spernis, & in praeceps, deteriusq; ruis.
Parce precor, precor: agnosco, fateorq;, pudetq;: Ant.
Eheu me miserum, hei mihi iam quid agam?
Hinc scelerum facies, & mens me conscia terret,
Nunc siquidem tenebris eruta cuncta patent.
Illinc horribilis stat pandis faucibus Orcus:
Tristis vbiq; pauor, saeuus vbiq; dolor.
Iam veniae spes omnis abit, fiducia cessit:
Nam mea me nimio pondere culpa premit.
Infelix quid ais? verbum hoc magis efficit vnum, Ang.

Quàm quae patrasti noxia facta prius.
Corrige te, veniamq; pete, & sperare salutem
Aude humilis: fuge iam praua, operare bonum.
Nam licet immensae fuerint, numeroq; carentes,
Quae tibi nunc sordes commaculant animam:
Arte Deus potis est omnes abstergere mira,
Agni caelestis nempè cruore sacro.
Ant. *Gratia magna Deo, atq; tibi Sancte Angele, qui me*
Commiserans recreas mollibus alloquijs:
Et veniam sperare iubes, quam pectore ab imo
Expressis lacrymis, suppliciter q; peto.
Sic ò praeteritas culpas ignoscat Olympi
Rector, & vsq; sua me comitetur ope:
Vt mihi iam certum est, ludicris rebus omissis,
Diuina impigrè post modò iussa sequi.
Tu verò, vt semper, nobis fidissime Custos
Adsis, & gressus, cunctaq; membra rege.
Iudicis vt tandem magni tutam ante tribunal
Hanc animam sistas victor ab hoste truci.
Ang. *Annuat optatis, atq; haec pia vota secundet,*
Et rectum signet, quâ gradiaris, iter
Rex CHRISTVS, *pastorq; bonus, tandemq; supremo*
Te censu electas collocet inter oues.

De noxijs cogitationibus in animum recurrentib.

VOS ò qui pelagi sulcando nauibus vndas,
Tot noua lustratis litora, totq; sinus:

Et

Et vos immensum pedites, equitesq; per orbem
Assueti longas ire, redire vias.
O & queis rerum cupidus miranda nouarum
Visendi, huc illuc currere suadet amor:
Dicite, num superis vsquam reperistis in oris
Prorumpens Lethes quâ fluat amnis aqua?
An tantùm infernis sese regionibus abdit,
Quò viuens hominum nullus adire queat?
An veteres illum potius finxere poetae,
Miscere vt veris plurima vana solent?
Ipse equidem magno mercarer fluminis haustum,
Quo mens praeteriti nil memor inde foret.
Quando adeò infestum, noctesq; diesq; misellam
Agmen monstrosis turbat imaginibus.
Illis nempe, quibus multos malè cauta per annos
Ipsa volens aditus, hospitiumq; dedit.
Nunc licet horrendas facies exosa repellat,
Non tamen aut vi illas, aut procul arte fugat;
Quin tamquam rapidae volitent hinc inde volucres,
Quae nidis cupiant incubuisse suis.
Languidior siquidem obsistit, nec vt hostis in hostes
Irruit, at priscae parcit amicitiae.
At veluti hoc ludens agat exitiabile bellum,
Nec penitus vinci vult, neq; vincere amat.
Hinc mihi nec pacis, nec spes est certa quietis,
Hinc doleo, heu miseris discruciorq; modis.
Quid prodest oculos auertere? quid iuuat aures

Claudere, ne quid mens hauriat inde mali?
Ipſa per occultos calles admittit in arcem,
Hoſtilesq; acies in ſua damna fouet.
Quòd ſi aliquo efficere id ualeam medicamine, notas
Ne formas cernens poſtmodo noſcat eas:
Aut incurſantes arcebit fortior, arctis
Aut uinclis uictas, compedibusq; premet:
Inuitam foedis ne ſpectris uſq; fatigent,
Qualia multa diu ſuſtinuiſſe queror.
Sed quid ego haec fruſtra meditor? quid ue eloquor amēs?
Vnde recens animum uana cupido ſubit.
Hoc nihil eſt aliud, quàm curis addere curas,
Atq; aegro hinc morbos quaerere, & inde nouos.
Quin uereor latices dum ficti oblinia quaero,
Ne uerè factus ſim immemor ipſe mei.
Nam quid longinquas opus eſt diſcurrere in oras,
Id cupiendo magis, quod minus eſſe queat?
Cùm uera ante oculos gratis mihi pharmaca proſtent,
Geſtiat & medicus ferre benignus opem?
Illis nequaquam auxilium praeſentius ullum
Infirmis animis, corporibusq; uenit.
Arte adeò hic ualet, ut non ſit praeſtantior alter
Inter mortales, caelicolûm ue choros.
Ipſe etenim caeli, terraeq; eſt Rector, & idem
CHRISTVS IESVS homo eſt, omnipotensq; Deus.
Quaecunq; ille iubet, dicto ocyus omnia fiunt,
Et uult aequè omnes, atq; iuuare poteſt.

Hinc

Hinc animae porrò afflictae medicina, salusq́
Hinc finis belli eſt, hincq; petenda quies.
Te te igitur ſupplex adeo, ſanctiſſima proles
Virginis, exaudi vota, humileſq; preces.
Da trepido pacem cordi, da gaudia menti
Solicitae, & pauidam protege ab hoſte truci.
Fac, ſimul audierit venerandum nomen IESV,
Diffluat inferni peſſima turba ducis.
Et tua Tartareae paueant vexilla phalanges;
At mihi tutamen ſint, precor, atq; decus.
Sic ò CHRISTE *Dei Verbum, Sapientia, Virtus,*
Concede, optata poſtmodo pace fruar.
Vt voti compos laeto tibi pectore grates
Semper agens, laudes ore, ſtyloq, canam.

Ad ſe ipſum Sexagenarium.

COLLIGE *ſarcinulas, me ſexageſimus annus*
Inclamans, abitus tempus adeſſe monet.
Nec tantùm validis torpentem vocibus vrget,
Sed ſpeculi ſtimulos ſaepe adhibere ſolet.
Hoc mihi non fictè rugas, canoſq; reuelans,
Oſtendit, quàm non ſim modò, qualis eram.
Et fidos addit teſtes, languentia membra,
Atq; hebetes oculos, iam tremulasq́ manus.
Aſt ego me longae aſſuetus ſpe fallere vitae
Durus, inerſq́ moras mille ſubinde trahens,
En (inquam) tot me longè praeeuntibus, aeui

Tam

Tam breue cur ſpatium mî ſupereſſe rear?
Quin hilaris potius viuam, dum ſuppetit aetas,
Poſtrema iſta animum cura moleſta premat.
Talia iactanti vox eſt mihi viſa minaci,
Horribiliq; aures, corq; ferire ſono.
Ergo ſub extremam, puer ò longaeue, ſenectam
Ludicra ſectando, deſipuiſſe iuuat?
Nec pudet hac luſiſſe tenus? nec ſpicula mortis
Horreſcis, miſerum iam feritura caput?
Siccine, dum fas eſt, noxas abolere vetuſtas,
Tu cumulum perges amplificare nouis?
Quî tibi adhuc audes annos promittere plures,
Si nulli eſt hominum craſtina tuta dies?
Quid ſi animam ſuperi repetant hac nocte miniſtri,
Et trepidam ſiſtant protinus ante Deum,
Quo ſe ingrata modo tutabitur? heu dolor, heu
Quàm ſero, & fruſtra poenituiſſe velit.
Tunc ego nil audens contrà, perterritus haeſi,
Spes vitae ſubito mortis abacta metu eſt.
Atq; diem meditans coepi trepidare ſupremam,
Criminis omnigeni conſcius ipſe mihi.
Non tamen aut facies ſcelerum, aut immenſus acerum,
Nec quicquid pauido ſuggerit hoſtis atrox,
Optatae mihi ſpem veniae extorquere valebunt,
Quam praefert CHRISTI *dextra benigna reis.*
Illum igitur cruce pendentem proſtratus adoro,
Utq; mihi ignoſcat, voce, animoq; precor.

Ore

Oro & praeteritas culpas obliteret omnes,
Nec me foedari poſt modo labe ſinat.
Idq; tuo in primis Mater Sanctiſſima virgo
Auxilio praeſtet filius eſſe ratum.
Tu quoq; diſcipule ò magno dilecte Magiſtro,
Supplicis, atq; humilis ſume patrocinium.
Et tu peccatrix Solimae famoſa per Vrbem
Quondam, aſt Empyreis nunc celebrata choris,
Debita cui largè CHRISTVS *per multa remiſit,*
Effuſo ex oculis dum lauis imbre pedes;
Plurima debenti ſautrix, veniamq; precanti
Aſſiſtas, miſeram commiſerata vicem.
Vos ego praecipue appello, nam nomina, & ora
Veſtra mihi aſſiduè picta tabella refert.
Dextrum Virgo latus CHRISTI, *laeuumq; Ioannes*
Obſeruant, ſtringit Magdala prona crucem.
Nec minus ò diui, & diuae, Angelicaeq; cohortes
Vos veneror, veſtrum praeſidiumq; rogo.
Pluribus vt pro me vnà intercedentibus, aures
Inclinet placidas ad pia vota Deus.

MDXCV.

IVLII SIGNII AD ANT. GIGANTEM,
Cum Libello recens excuſo, & inſcripto:

POEMI VOLGARI, ET LATINI
nella partenza del Molto Illuſt. & Eccell.mo
Sig. GIROLAMO PERBENEDETTI
Auditore del Torrone
di Bologna.
Al Molto Illuſtre Sig. ASDRVBALE
PERBENEDETTI.

NON vatũ expleti numeris ſunt omnibus, ad te
Quos mitto, numeri te ſine magne Gigas.
Perfice opus noſtrum perfectis verſibus, oro,
Ars tibi quos diues dictat & ingenium.
Iudicis exemplar perfecti tu potis vnus
Exprimere, & grandis grandia facta viri.
Mente alta penetras rerum penetralia, Phoebus
Eſt pater, & genitrix eſt tibi Calliope.
Eia age ſume chelyn, recreabis cantibus orbem;
Et bene Gens dicet PERBENEDICTA *tibi.*

Ad IVLIVM SIGNIVM.

LEGI *pulchra lubens, quae pectine carmina Tuſco,*
Et Latia cecinit Felſina docta chely:
Dum laudum egregijs titulis inſigne trophaeum
Erigit inſigni nobilitate viro:
Inſigni & ſtudijs Aſtraeae, & faſcibus aequis,

Prae-

Praestantisq; animi dotibus, atq; pij:
Iudicis exemplar perfecti vt posteritas
Aetas, quem praesens suspicit, atq; colit.
Nempe tuo, IVLI, magno haec oblata Camerti,
Consensu plebis vnanimi, atq; Patrum,
Innumera exuperant argenti, auriq; talenta,
Quanta vicunq; alius parta referre studet,
Iurgia qui pendat parui, & quae plurima vulgus,
In proficiscentem mox maledicta iacit.
At meritus bene de cunctis hic, diues honorum,
Omnibus faustis, laude & onustus abit.
Iure igitur tali se patria iactat alumno,
Et consanguineo PERBENEDICTA *domus.*
Praecipuè tanto MARIANVS *germine gaudet,*
Piceni eximius, non modò gentis honos.
Purpureos inter Patres quem Roma sedentem
Miratur meritis, & pietate grauem,
Cuius & ingenium solers in rebus agendis,
Et faciles aures, consiliumq; probat.
En tibi quae calamo, SIGNI, *properante Gigantis*
Debilis Echo instar, reddere Musa valet.
Tanti namq; viri virtutem, & facta decenter
Laudibus haud potis est amplificare nouis.
Praesertim cùm tot nitidi tecum omnia Cygni
Lustrarint, miris extulerintq; modis.
Quòd si ego fat (culpa ingenij) feciſſe nequiui
Nunc tibi, tu facias, sit voluisse satis.

Marianus Perbenedictus Card Camerinenſis.

ANTONII GIGANTIS FOROSEMPRONIENSIS CARMINA LYRICA.

In LVDOVICVM BECCATELLVM Raguſinorum Archiepiſcopum, & Præpoſitum Pratenſem.

QVOT *ante agreſti carmina arundine*
Luſi, perenni preſſa ſilentio
Syluæ recondant, quæ ſtrepentem
Sæpe meam excipiunt Camœnam.
Nunc te inclyte ò Latoe, potēs nigras
Orci tenebras lumine ſplendido
Luſtrare: nunc & vos precabor
Caſtæ Heliconiades puellæ,
Mirè ſcientes temporis improbi
Fraenare curſum: hæc annuite, vt diu
Pagella ſit nobis ſuperſtes,
Vtq; virûm volitet per ora;
Inſigne nomen cui BECATELLII
Mandare (quamquam pertenui ſtylo)
Audemus, haud hac mente, noſtris
Clareat vt magis ille chartis.
Verùm id mihi vnum ſat fuerit, pius.

Si

Si ſeruus olim dicar in optimum
Fuiſſe patronum, & fideli
Sedulus obſequio, atq; cultu.
Nae maximis pro muneribus genus
Mortale ſummo Caelicolum patri
Obnoxium eſt: multis & ipſos
Nominibus colimus parentes.
Tum qui benignum tramite in arduo
Virtutis almæ nactus erit ducem,
Rerumq; honeſtarum magiſtrum,
Quas habeat, referatve grates
Illi pares vnquam? Hoc ego nomine
Debere multùm me fateor tibi,
O aurei ſecli, ò imago
Nobilium LVDOVICE *morum:*
Quando libenter iam pateris tuum
Me dici alumnum. quo mage glorior,
Quàm ſi potentum aſſecla Regum
Conſpiciar dibapho refulgens,
Auriq; magnum pondus, & vberes
Agros, & amplas poßideam domos.
Atqui nec ore blandienti
Vana loquor, neq; corde ficto.
Te Regiae regnator Olympiae,
Latere cuius nil oculos poteſt,
Teſtor: meis tu ſemper eſto
Sic placidus, facilisq; votis,

Vt ipſe puro è pectore profero
Modò haec, & aura dum aetheria voles
Me veſcier, nunquam pigebit
Saepius haec eadem referre:
At tempus, index certus, id arguet:
Nunc optimè de me meriti viri
Thalia quas laudes nouello
Inſtituis memorare plectro?
Prudenter illum magna negocia
Tractare, norunt & Veneti patres,
Dum Tertij Legatum IVLI
Inſolito exciperent fauore.
Summi & gerentem Pontificis vices
Mirata Roma eſt, & pium, & integrum.
Sacerq; Conuentus Tridenti
Conſilium illius, atq; rectam
Mentem probauit. Tum vigilantiam,
Curamq; commiſſum aſſiduam in gregem,
Quis non adhuc nouit? quis illum
Praecipua hinc decorare laude
Non certat? hinc Vrbs Raguſidum inclyta
Praeſenti honorem ſedula praeſtitit
Vel debitum, abſentemq; amore
Nunc quoque proſequitur tenaci.
Iam litterarum quot ſtudia, & bonas
Sit doctus artes, ſcripta volumina
Teſtantur, ac perfuſa dulci

Carmina

Carmina Caſtalio liquore.
Sed clariora haec luce Hyperionia
Curſim recenſes Pieri, floreq;
Multo virens pratum peragrans
Colligis exiguas corollas.
Quin laudum aceruo pro innumerabili
Illuſtre magni iudicium Ducis
Hetruriae connecte noſtris
Verſiculis, neq; plura garri.
Non verba COSMVS *fundere inania*
Conſueuit: hic ergò BECATELLIO
Antiſtitem vllum ſanctiorem
Heſperijs negat eſſe in oris.
Nec non apertis indicijs idem
Oſtendit, illum cùm ſua florida
Acciuit vltrò in regna, largè
Proſpiciens meritae ſenectae.
Quàm carus & mortalibus, & Deo
Nunc Prati amoeno degit in oppido,
Sacris vacando, deq; multis
Aſſiduè benè promerendo.
Quod reſtat, oro te prece ſupplici
Rex magne diuûm, qui pia reſpicis
Mortalium facta, & benigna
Promeritis trutina rependis:
Hunc tu virum ſerua incolumem diu,
Huic & quieto da ſenio frui

Longos

Longos in annos: da feraci
Ingenio, ac animo vigere.
Multos iuuare vt pergat, & integrae
Vitae institutis, oreq; dulcia
Fundente mella, ac liberali
Inq; bonos, inopesq; dextra.

Ad LAELIVM TAVRELLIVM virum clarissimum.

NE me rogantem Musa diutius
Terrere pergas; & mihi LAELII
TAVRELLII *est perspecta virtus,*
Carmine, laudeq; maior omni.
Cui si quid ausim luminis addere,
Illum' ve coner tollere versibus,
Deridear iure, atq; cursus
Icarios iterasse dicar.
Sed nota nobis est itidem viri
Benigna mens, ac insita comitas;
Quae me profari hortantur ambae,
Dantq; animum calamo trementi.
Ergò optimarum nobilis artium
Cultor, sacratiq; Aonidum chori.
LAELI *sacerdos, hoc serena*
Fronte tui exiguum clientis
Admitte munus; nec rudibus tuum
Si illustre nomen versibus insero,

Feras

Feras moleſtè: nam neque auro
Extenuat pretium nitenti,
Indocta quamuis artificis manus
Conflando turpem formet imaginem;
Nec liuido interſerta plumbo
Gemma minus pretioſa fulget.
Sed quis tam iners ſplendentia ſidera
Latè ſereno ſuſpiciens polo,
Non obſtupeſcat, nec deorum
Inde Patrem colat, ac celebret?
Praeclara virtus ſic tua, & integri
Actus in omni tempore, & innocens
Vita, atq; mores elegantes,
Conſiliumq́, animusq́ honeſti
Amans & aequi, in te excitat omnium
Vbiq; mentes, oraq́; vt vndiq;
Sermonibus te, paginisq́
Quiſq; ſuis decorare certet.
Benè, ac beatè grandia munia
Geſſiſſe, magnum eſt: ſed meritis pares
Audire laudes, ſaepe triſtis
Liuor, & aſtra vetant maligna.
Te verò & amplis ſemper honoribus
Florere, & alto Principi Hetruriae
Platere, iam multis ab annis
Flora probat, penituſq́ gaudet.
Quin & merentem non minus exteras

Ingens

Ingens per oras gloria te manet,
Quacunq; ius ciuile gentes,
Pieriasq; colunt sorores.
Minoa iactet Graecia, & Aeacum,
Orci & tenebris praeficiat nigris,
Vt iudicent, dignoq; manes
Supplicio afficiant nocentes.
At nos (Olympi gratia maximo
Regi) intueri te vegetum iuuat,
Legumq; seruantem, & peritum,
Praesidioq; reos leuantem.
Miramur & te, dum grauioribus
Interdum omissis rebus amabilem
Pangis modos, mentemq; dulci
Alloquio exhilaras Camoenae.
Sanè tuarum non id in vltimis
Vir magne laudum ponere nos decet;
Quando hinc Metauri, Arnioq; tantus
Subsequitur fauor, atq; plausus.
O si canoro promere carmine
Possim, mihi quae plurima suppetunt,
Dum corde te mecum silenti,
Dumq; tuos meditor honores.
Nam grata vernis quàm varios refert
Pratis colores aura Fauonij,
Viuacibus tàm multa de te
Quippe forent referenda chartis.

Sed

Sed ne phaſelo litora paruulo
Cautè legentem me in pelagus trahant
Vaſtum reſorbentes procellae,
Tempus erit cohibere velum.
Idq́ ipſa tuti Muſa ſilentij
Amica poſcit. non tamen interim
Ceſſabo diuos deprecari,
Neſtoreos ſuperantem vt annos
Conſueta firmo corpore munia
Obire te omnis Tuſcia ſentiat,
Fanumq́ Fortunae diu te
Gaudeat incolumi, & Metaurus.
Item precabor, natus vt optimus
Virtute, magnisq́ auctus honoribus
FRANCISCVS, *omni ex parte laudes*
Vſque tuas ſtudet æmulari;
Sic & Nepotes indole nobili
TAVRELLIAE *genti amplificent decus,*
Tuamq́ felicem inuidenda
Laetitia cumulent ſenectam.

LAELII TAVRELLII Annum agentis LXXXIII.
Ad ANTONIVM GIGANTEM.

SI clara virtute Virum, aut Heroa videres,
Qui meritis poſſet proximus ire Deis;

Tolleret hunc rectè pulchro tua Muſa labore,
Inſereretq; aſtris, quà via lacte micat.
Aemula Dircaeis incaſſum at fulgura fundis,
Dum mihi tot geminas lumina, culte Gigas.
Ipſe quidem numeros aptas, orbesq; reflectis,
Maeandrisq; ornas, multiplicique lyra.
Extollisq;, agitasq;, rotundior undiq;, puro
Purior Electro, candidiorq; niue.
Has ego diuitias Thebani gurgitis expers
Vix capio anguſto pectore, corde rigens.
Obruor oceano laudum, Phoebiq; quadrigis
Vror, & in ſaxum Phorcidis ore feror.
Sic tumulo premor attonitus, ſub faſce fatiſco,
Inq; ſuum auctorem gloria tota redit.

Ad APOLLINEM.

ME Phoebe grates aſſiduè tibi
Par eſt habere, ac dicere maximas,
Libare quòd primis ab annis
Caſtalios dederis liquores;
Et mox adulto, quòd iuga viſere
Conceſſeris Parnaſſia, & intimas
Sedes Sororum, nuncq; demùm
Eſſe aliquo in numero tuorum.
Num fortè vanus memet amo, & mea?
Veriq; falſa ludor imagine?
Nil prorſus à noſtro remotum

Ingenio

Ingenio magis esse posßit.
Nam mî vigil nec somnia fingo, nec
Vulgi imperiti auram inhio leuem;
TAVRELLII sed me peracre
Iudicium, potius frequentis
Plausu theatri, cogit ab infima
Tellure paulùm tollere verticem,
Mihiq; desumpta pudenter
Laureola redimire frontem.
Is nanque nostrae non nihil æstimat
Cantus Camoenae; quin etiam suis
Dignatus est me perbenignè
Egregijs decorare scriptis.
An me ille pura candidior niue
Lactet spe inani, laudibus efferens
Fictis meos versus, vt ipsum
Vatibus inserat immerentem?
Id credere ausit liuidus, & procax.
Me nanque tanti iudicio viri
Iuuat probari; ac inde nomen
Posse meum tenebrosa spero
Vitare Lethes flumina. Sic mihi
Adsis precanti numine dextero
Latoe, digna vt te, tuisq;
Saepè viris placitura cantem.

Ad LAVRENTIVM FRIZOLIVM. De LVDOVICO BECCATELLO Raguſinorum Archiepiſcopo, ac Præpoſito Pratenſi.

SPIRANTES *Michael calluit Angelus*
Vultus de Pario ducere marmore,
Quos miretur & ætas
Praeſens, ſeclaq́ poſtera.
Vrbinas etiam nobilis artifex
Mira compoſitis arte coloribus,
Dextraq́ haud ſuperanda
Vivas pinxit imagines:
Tu verò mi anime hunc ſi cupis optimum
Aeternare virum; ſi BECATELLII
Inquam nomen aues, &
Laudes tollere ad aurea
Caeli ſidera; ne tu artificum manus
Solertes adeas; nam neq; marmora,
Nec praeſtare colores
Id poſſunt melius tibi,
Quàm docti egregius FRIZOLII *ſtylus.*
Quem pridem Venuſinae citharae æmulum
Agnoſcunt, meritiq́
Ibi à finibus vltimis
Vatum non humiles Auſonidum chori
Aſſurgunt, auido cum ſtudio illius

Sic

Sic praeclara legentes
Scripta, atq; aurea carmina;
Mercator velut strenuus assolet
Gemmas percupidè quaerere lucidas,
Et bacas, pretiosas
Merces æquoris Indici.
I tu ergò, & properè te in celeberrimam
Vrbem Flaminiae transfer Ariminum
O Musa, ille vbi tantus
Vates curat Apollinis
Sacra, atque assiduis æthera cantibus,
Et litus resonat nobilis Adriae,
Nunc facta alta virorum,
Nunc laudes referens Dei.
Quem nostro simulac nomine iusseris
Saluere (haud equidem suspicor, infimi
Etsi ignota poetae
Illuc nuntia veneris,
Te sacro illius è limine pellier)
Quàm verbis, precibusq; est pote maximis
Exorare memento,
Vt doctam admoueat manum
Felici calamo, qui valet è styge
Quemuis eximere, & secla per omnia
Conseruare celebrem:
Qualis Mercurij aurea
Virga ex Persephones dicitur horrido

Regno

Regno posse animas eripere, & Iouis
Celsa in tecta referre.
Tum magnas BECATELLII
Laudes grandiloquis versibus inserat;
Quas iam fama volans vexit in exteras
Gentes; at decoratas
Claris FRIZOLII *notis*
Nequicquam volucres temporis inuidi
Cursus imminuent; quin nitidas magis
Ipsa lampade Phoebi
Omnis posteritas leget.
Ac nempe eximium dum celebrat virum,
(Quamuis perpetuò maxima suppetat
Illi copia laudum)
Ingens materies fluet;
Seu dotes animi, & fertilis ingeni,
Seu mores libeat dicere amabiles,
Seu vitae integritatem,
Et recti studium, ac fidem.
Seu quae sanctè obijt publica munia
Percensere iuuet; siue pio vt gregem
CHRISTI *pascat amore, &*
Quàm purè peragat sacra.
At mi difficile est, innumerabiles
Vel laudum titulos carmine persequi;
Ni fortè haec sapienti
Vati sint satis, ac super.

Nil

Nil ergò vlterius te decet addere,
Cùm teſtata deos, Pieri, dixeris,
Te non poſſe GIGANTI
Vllum iam pretioſius
Munus ferre, ſui quàm meritiſſimi
Quae laudes domini pagina continet,
Praeſertim egregio quam
Signet FRIZOLIVS *ſtylo.*

Ad MARIVM COLVMNAM Stephani F.

DETERGE longo puluere ſordidum
Plectrum, & ſonoras adde fides lyrae,
Illudq; mî dextrae, hancq; laeuo
O puer admoueas lacerto.
Ceſſasnè? magnus ſic MARIVS *iubet:*
Nihil negandum eſt, cui ſuperi bona
Tot, tantaq; vltrò detulerunt,
Cuiq; volens teneris ab annis
Phoebus reuinxit fronde ſacra comas:
Quo tempore omnis Pieridum chorus
Cum Gratijs certauit, illum
Eximijs cumulare donis.
Sed tu, Mari, quidnam obſecro vis tibi?
Vnde haec cupido, Vatis vt infimi
Poſcas agreſtem audire cantum,
Et citharam malè garrientem?
Nae tu videris (pace ioquar tua)

Pertae-

Pertæſus Vrbis Lautitiae, rudes
Eſcas colonorum, & Falerno
Pro liquido appetiſſe vappam.
Quod fortè ſi nunc taedium (vt euenit)
Seuerioris te ſtudij capit:
Nunquid tibi me poſſe reris
Languidulam recreare mentem?
Nom Muſam Apollo ditat adhuc meam
COLVMNA tanto munere: non chelys
Haec eualet, plectro inſuaui
Tunſa, graues animos leuare.
Nanque obſtrepenti fingere gutture
Anſer canoros non potis eſt modos,
Tuſcas quibus BARGAEVS oras
Dulcè ſolet reſonare cygnus.
Quocunq; verò nomine id imperas,
Parere certum eſt: quin tibi maximas
Grates ago, quòd memet aure
Tam facili, atq; adeò benigno
Sermone dignas: quòdq; etiam mea
Legenda me vltrò carmina flagitas,
Muſaeolum nec te ſecundò
Poenituit ſubijſſe noſtrum.
Hinc & vetuſto Romulidum ſatum
Agnoſcimus te ſanguine, parua qui
Non deſpicis, cùm tu inter omnes
Sis, meritoq; habeare magnus.

Quan-

Quanquam iocoſa id tùm grauitas tua,
Tùm verba miris ſparſa leporibus,
Tùm fortis æquè ac docta dextra
Indicijs perhibent apertis.
Blandirier nulli ingenitus pudor
Me ſiuit vnquam: quod ſi ego te inclyta
Vel ſtirpe, vel virtute clarum
Nobilium iuuenum Italorum
Florem eſſe dicam: Romaq́, Floraq́
Vno ore longè vera fatebitur
Dixiſſe me, nec non frequenti
Excipiet mea verba plauſu.
At quid minutis carminibus tuas
Perſtringo laudes, ſi numero carent,
Vt aſtra, quae fulgere Caelo
Plurima ſuſpicimus ſereno?
Praeſtabit ergò reddere ſtridulam
Teſtudinem clauo; indeq́ mox eam,
Et forſitan cum molliori
Pectine te meditans, refigam.

Ad PETRVM VICTORIVM.

NOBILIS *Florae meditanti honores,*
Siue quos priſci peperere longis
Seculis ciues opibus potentes,
Inclyti & armis;
Siue quos illi Medicum beata

In dies auget ſoboles, perenne
Italae gentis decus, atque regni
Robur Etruſci;
Obuiam ſeſe tua, docte PETRE,
Fert mihi virtus, animumq́, & omnes
Occupat ſenſus, aciesq́ claro
Lumine ſtringit.
Qualis Aſtrorum numerum, & figuras
Ante Lucanas cupide intuenti
Aureis Sol vectus equis Eoa
Surgit ab vnda.
Hinc tuum noſtro celebrare plectro
Nomen audemus, licet omnis impar
Sit tuis longè meritis futurus
Laudis aceruus.
Tu mihi ò cultrix Heliconis adſis,
Nunc chelym praeter ſolitum canoram
Redde, nunc & digna viri aure tanti
Carmina dicta.
Quem toga illuſtri, & ſenio decorum
Ciuium cunctus veneratur ordo,
Et ducem morum ſequitur proborum
Tota iuuentus.
Sicuti quondam Sophiae parentem
Pars Athenarum melior fouebat,
Ac velut cultum tribuit ſenectae
Roma Catonis.

Quip-

Quippe nil tantum eſt homini expetendum,
Recta quàm mens, & ſtudio bonarum
Artium flagrans, animusq; rebus
Pronus honeſtis.

Quae quidem puro renitens in auro
Gemma, VICTORI, tibi ſingulari
Obtigit dono ſuperûm: nec ipſe
Munere tanto

Veteris fruſtrà tibi diues vni;
Sed tuae largus patriae, atque Tuſcis
Sedulò impertis, penitusq; toti
Diuidis orbi.

Nanque vbi ſermo colitur Latinus,
Enitent docti ingenij labores,
Et ſtylo quae tu egregiè diſerto
Plurima pangis.

Tu libris magni Ciceronis euo
Obſitis longo decus & nitorem
Reddis, ac plures alios ab omni
Labe repurgans,

Inſuper ſenſus aperis repoſtos.
Tantus ignaris ſimul, & peritis
(Quod potes multùm) benè conſulendi
Te tenet ardor.

Teq; priſcorum meliora Graiûm
Scripta praebentem Heſperijs legenda,
Nunc manet laus, & peritura nullo
Gloria ſeclo.

Ad honoratam ſubiens cathedram
Dij boni, quanta grauitate, quanto
Fonte verborum monumenta datum
Sacra recludis?
Et tuam ſanctus Pater eruditam
Audijt vocem, ſacer & Senatus,
Atq; te admirans hominum corona
Aſtitit ingens:
Cùm Duce à magno veniens ad Vrbem
Miſſus orator, populi frequentis
Verteres in te, quaſi Marcus alter
Tullius, ora.
Proinde ſummis ò decorata donis
Flora, cultisq; ingenijs, & auro
Affluens, vt iure Italis ferare
Vrbibus eſſe
Pulchrior, tanto fruere, atque gaude
Ciue, ſplendorem tibi qui togatus
Addit, & pubem ſtudijs, bonisq;
Moribus ornat.
Nec viris prudens Plato Ciuitatem
Talibus cenſet fore perbeatam:
Hi opes, clarum genus, & triumphi
Laurea cedat.
Sed meæ quanquam tenues Camoenae
Spiritus inſint, neq; pene quiſquam
Sit potis finem reperire laudum
PETRE *tuarum;* *Attamen*

At tamen rhythmos ego longiores
Rursus ordirer, nisi iam moneret
Me pudor, ne te grauiora semper
Mente agitantem
Demorer cantu, citharaq; agresti.
Ergò sat magna haec tibi sint, precamur
(Parua sint quanuis) animi, atq; cultus
Pignora nostri.

PETRVS VICTORIVS ANTONIO GIGANTI Sal.

NON *mihi primum nunc, cum in manus meas venit nouum carmen tuum, vel meum potius, cognitum, & perspectũ fuit elegans ingenium tuum, Gigas suauissime, & naturae bonitas singularis, qua impelleris ad ornandos amicos, & in Caelum summis laudibus ferendos: legeram enim multo antea nonnulla tua carmina, plena venustatis, & artis, quibus celebrabas honestos viros, & magna virtute praeditos, in ijs fuit grauis Ode, qua laudasti clarissimum virum, & tuo praeconio dignissimum, Laelium Taurelium, cuius sanè carminis non facilè dixerim argumentum ne fuerit verius an facultas scribendi ipsum, & omnibus artis coloribus pingendi maior. Iam tum igitur mihi placuisti, & ijs omnibus de causis in animum meum amanter irrupisti: non minus enim delector laude amicorum, quàm mei ipsius; semper autem amaui optimum hunc, & doctissimum virum, & eximias ipsius virtutes valde admiratus*

miratus sum: cepi igitur voluptatem non paruam, cum vidi ipsum dignè, ac meritò commendatum. Vtinam materiam parem nactus esses, cum induxisti in animum me illustrare, sed quanto minora sunt, & tenuiora mea merita, tanto magis apparet, atque illustrior est tua virtus, & ingenij vis, ac potestas, qua tractasti hoc exile argumentum, vt si opimum, amplumque foret, splendorisq; ipsi plurimum attulisti, ob diuitias tuae naturae, & artificium mirificum pangendi carminis. Similem igitur te iudico veteribus illis melicis Graecis, Simonidi, Stesichoro, Pindaro, & vni Latino Flacco, in quorum palaestrā magno animo ingressus es, imitarisq; illos egregie, vel potius certas cum ipsis de loco honeste, quod si in isto itinere perseueraris, humanioresq; has musas toto pectore colueris, spero fore, vt eandem gloriam, quam illi nacti sunt, consequaris, quorum nomen adhuc post tot secula viget, ac semper florebit, quamuis ingeniorum monimenta, iniquitate superiorum temporum magna ex parte perierint. Non dubito autē quin id facturus sis: qui enim semel dulces hos fructus musarum gustauit, non potest ab illis discedere, nec vllo casu pati se inde abripi: esset nāq; laudi, & gloriae suae inimicus, et eodem tempore ab honore, & fama excellentium virorum paenè alienus, quā potest facile augere, et dignitati eorū non paruum cumulū addere. Sed haec tibi praeclare nota sunt, nec necesse erat cursui tuo ardenti stimulū admouere, sed volui tecum aliquantulum per litteras loqui, familiari hoc meo, & humili

humili sermone, postquam pari studio, & poetica vbertate compensare beneuolentiam tuam me posse diffisus sū: cum autem te antea dilexerim, ob dotes animi tui, & studium, quo flagras dilaudandi claros, & probos viros, putare debes, in quo non decipiere, me magis te amare, postquam cognoui tàm pronum esse in honorem meum, et effundere omnes vires in me commendando: etsi enim me non magnopere auidum gloriae puto, praesertim falsae, tamen fateor me delectatum, cum legi carmen tuū, in quo vndiq; collegisti, quae similitudinem aliquam in vita mea ante acta, honesti facti habebant, & vmbram tenuem dignitatis. Vale.

Ad Io. BAPTISTAM CAMPEGIVM Episcopum Maioricensem.

QVAS ab immenso cumulo, atq; honorum
Fonte inexhausto tibi singulares
Seliget laudes, referetq; digno
Pectine Clio,
Magne CAMPEGI? neq; enim parentis
Inclyti, & fratrum decus optimorum,
Ac opes tantas breuiore coner
Stringere versu.
Nec tuas certo numero carentes
Penè virtutes memorare cunctas
Audeam, vanus poli, & Africanae
Mensor arenae.

Nempè

empè

ube

Nempè ſi priſca probitate, & aureis
Moribus cultum, & facilem te in omnes,
Et pium dicam, Sophiae, atq; verae
Laudis amantem:
Floribus paucis tenuem coronam
Texero; aſt illam tibi prorſus vni
Debitam agnoſcet, nitidis adornans
Felſina gemmis.
Nam tui claras animi ipſa dotes
(Vt ſolet) pleno celebrabit ore,
Dulceq; & doctum eloquium, ſtyloq;
Scripta diſerto.
Addet & magno excipiente tota
Plebe cum plauſu, vt tua liberalis
Dextra de multis benè promereri
Sedula curet.
Quo quidem humano generi, deisq;
Gratius nil eſt, neque, quàm iuuando
Plurimos, diuis homines propinquant
Re magis vlla.
Si quis immenſum tumet affluenti
Copia rerum, ſciat infidelis
Dona Fortunae ſibi non perenne
Credita in æuum.
At modum quiſquis tenet his fruendi,
Nec dolens ſumptus refugit decentes,
Et ſuis largè, populoq; partem
Ponit egeno: Ille

Ille nequicquam tenebroſa duri
Regna Plutonis metuet, nec ora
Sæua Minois, neque tempus atra o-
bliuia ducens.
Sed, velut celſas Iouis ales oras
Aetheris penna celeri penetrat,
Sic leuis nubes ſuper ipſe, & aſtra
Lucida ſcandet,
Hinc & hinc gratas benè deprecantum
Audiens voces, calamosq; centum
In ſuas cernens properare laudes,
Plectraq; centum.
Tanta ſed virtus licet inter omnes
Clarior Phoebi radijs niteſcat,
Ipſius lucem tamen haud frequenter
Suſpicit orbis.
Quo magis de te tua glorietur
Ciuitas, & te colat, ac celebret,
Vt tuum nomen Dacus, atque vterq;
Audiat Indus;
O vir Illuſtris, citharaq; Vatis
Digne Thebani, Lacheſis ſeuerae
Immerens dextra ſubigi potente;
Ne decus vnquam
Tale mortales doleant ademptum.
Sed Patris ſummi maneat voluntas,
Plurimos qui te incolumem, ac beatum
Seruet in annos.

De COSMO MEDICE Magno Hetruriæ Duce.

Antonius. QVA laude, vel quo, Pieri, carmine
Dignè canemus nominis Itali,
Hetruriae nedum potentis,
Eximium decus, atque robur?

Musa. Ne tu id pusillis versibus audeas;
Sed magna Magnum plectra sonent Ducem:
Quem Mincij cygnus deceret
Elysijs reuocandus oris.

A. Quis ergò laudes illius inclytas
Feret per orbem? quis venientibus
Testabitur seclis recentem
Impositam capiti Coronam?

M. Ignare, nescis, Tuscia quot viros
Alat celebres dotibus ingeni?
Hi Maximi COSMI tum auitos,
Tum proprios referent honores.

A. Non immerentem, Diua, redarguis:
Verùm hoc roganti dic age, Quis sibi
Tam grande opus praestantiori
Pectine concelebrare sumet?

M. PETRVM inter omnes ANGELIVM meae
Fouent sorores (tabificus procul
Hinc liuor esto) insignem Apollo
Huic citharam dedit, atque cantum.

Vatem

Vatem ò beatum, quandoquidem tuus A
Tantam cothurnus materiam manet:
Tu nomine hoc vno vetuſtis
Haud eris inferior Poetis.
Ducem ò beatum, quem magis in dies M.
Caeli benignus proſequitur fauor:
Heroibus næ iure priſcis
Poſtera te annumerabit aetas.

In Diem Feſtum omnium SANCTORVM

QVID me canorae ſuauiloquas lyrae
Chordas mouentem nunc potius decet
Cantare? dum curis ſoluta
Mens placida fruitur quiete,
Et membra nullus ſollicitat labor,
Non eſt ſilendum: te moneo tamen,
Verſus die feſto profanos
Abſtineas memorare Clio.
Quin ò beatae vos animae precor,
Altas olympi quae colitis domos,
Diui, atq; Diuae, queis Nouembres
Sacra ſimul referunt Calendae;
Adeſte vatis carminibus pij,
Edatq; vobis auſpicibus nouum
Rhythmum, & ſacras luces decentem
Pulſa chelys grauiore plectro.
Teq; inter omnes praecipuam rogo

Regina Caeli; tu modò barbiton
Doce tuas laudes sonare,
Ingeniumq; foue pusillum.
Verùm quibus te laudibus efferam,
Quando Angelorum te nequeunt satis
Laudare linguae? sed quis vnquam
Verba queat reperire digna
Virtutibus, quae Caelicolûm Patri
Prae caeteris mortalibus vnicè
Te reddiderunt caram: vt, alto
Consilio reparare lapsum
Cùm vellet orbem, condiderit tua
Pudica in aluo mirificis modis
Suum ipse Verbum, vt se inde veram
Indueret hominis figuram?
Hinc te piorum coetus honoribus
Summi parentem prosequitur Dei,
Latèq; terrarum per orbem
Maxima templa tibi dicauit.
Te, qui molestis opprimitur malis,
Et quem periclum commouet imminens,
Votis adit supplex: at ipsa
Suscipis aure preces benigna.
Itemq; vestram sentit opem, integro
Qui corde vobis supplicat, ò boni
Diui, supremo ab Rege cuncta
Cùm prece, tùm merito impetrantes.

O quàm

O quàm libenti nunc animo iuuat
Delubra quaedam me reminiſcier,
Quae aut Italas vidi per vrbes
Ipſe oculis, alijsvè in oris
Structa eſſe miris artibus audij.
Surgunt vbi arae Caelitibus ſacrae,
Odore fragrantes Sabaeo;
Stant & vbi ſimulachra Diuûm,
Vel ſculpta laeui marmore, vel cedro
Dolata, vel depicta coloribus;
Murisq; votiuae tabellae
Innumerae, ac laqueare pendent.
Hic nempe priſcis mos patribus fuit;
Hunc deinde in omni tempore poſtera
Seruauit ætas; hunc minores
Nos etiam retinere par eſt.
At improborum concidat inſolens
Manus, vetuſtos quae ſtudet impiè
Delere ritus, & verendas
Effigies violare Diuûm.
Nos verò honorem imponere debitum
Iuuabit aris; nos venerabimur
Diuos decenter, ſicut olim
Edocuit pietas auorum.
Sic vos benigni Caelicolûm chori
Iuuate veſtra Chriſticolas ope,
Quicunque vobis dedicatam
Ritè diem celebrare gaudent.

FESTVM

IN DIEM FESTVM DIVI MARTINI.

FESTVM concelebrans diem
MARTINI, grauibus non ego poculis
Fundam, vina ſodalibus,
Indulgens genio perditus, & iocis,
Nec lautas epulas amans,
Vt vulgus rude mos impius edocet.
Cultoresne igitur Dei
Bacchantum indecorem ritum imitabimur?
Illum non ab olympijs
Diuus reſpiciens ſedibus approbat
Cultum, & barbaricos modos
MARTINVS. qui agitans duriter admodùm
Aeuum, ſobrius, & vigil,
Non his delitijs CHRISTI aluit gregem.
Rex Caeli & mihi, & omnibus
Da, quaeſo, melius conſilium pijs.
Me ſacrata tibi, & tuis
Diuis Templa frequenter iuuet ingredi,
Et puris manibus ſacro
Frontem ſpargere rore, atq; animo preces
Caſto fundere ſupplices.
Verùm ad laetitiam ſobrius interim
Si mentèm furor excitet:
Dum te, ò perpetuae laetitiae dator,

Ac laudes reſonet tuas,
Dulcem non renuam tendere barbiton.

In diem Feſtum D. NICOLAI Myræ Epiſcopi, & Confeſſ.

OPTATAM, ſocij, bruma refert diem
Feſtam NICOLEO. hanc agedum ſacris
Vt par eſt, celebremus
Vnà laudibus, & modis.
Pompas ne pigeat ducere ſupplices,
Concordiq; preces fundere pectore,
Quas Rex ſummus olympi
Aequis audiat auribus.
Ardentes manibus tollite iam faces;
Ad templum iuuat ire. incipe iam puer
Crines cincte virenti
Lauro promere carmina.
Dic ternos tacita nocte pecuniae
Porrectae loculos ſollicito patri,
Caſtis dote pudicis
Vt natis generos emat.
Die ſaeuo innumeros æquore nauitas
Seruatos. tumidis dic quoq; fluctibus,
Ereptasq; furentis
Euri turbinibus rates.
Noſtris nec ſileas auxilium choris
Praeſenti toties numine praeſtitum,

Dum

Dum rerum inſcia pubes
Incerto ferimur pede.
Patronum meritò te pueri vocant,
Solennemq; tuam ritè colunt diem:
Nam te, Diue, ſequuntur,
Et morum, & ſtudij ducem.
Adſis ſupplicibus ſancte pater tuis,
Et noſtri faueas curſibus ingeni;
Quin haec laeta quotannis
Da ferre incolumes ſacra.

Ad LAVRAM BATTIFERRAM AMANATAM.

EGREGIAE *formae laudes, ſeu carmine priſco*
Concelebratas, ſiue recenti,
Vt lubet aſſumat mulier ſibi pulchra licenter,
Ac multùm ſe iactet in illis:
Dum nitidis oculis, & laeui gratia fronti,
Atque comis inſederit aureis.
Sed mox paulatim defloreſcentibus annis,
Aut vltrò, aut inuita reponet.
Aſt animi quaecunq; bonas eſt foemina dotes,
Et pectus ſortita pudicum:
Haud quaquam triſtis metuens erit illa ſenectae,
Nec cultu exultabit inani.
Quin Regum quauis vxore beatior aeuum
Tranſiget. vt facere admiramur

Tete

Te te ope nobilium virtutum LAVRA *tuarum.*
Quarum splendorem haud nitor auri,
Nec gemmae æquiparare valent, quas vtraq; plu-
Diuersis fert India ab oris. (*es*
Iure igitur tanto te Flora illustris honore
Excipit, & quocunq; locorum
Tusci Heliconis adit praeclarum nomen, eodem
BATTIFERRAE *fama peragrat.*
Quod nostra haec ætas, melioribus æmula seclis
Graiorum, te laeta vocare
Iandudum Sapphona suam consueuit, in vno
Hoc etiam felicior illis;
Nam cultrix tua Musa sacri intemerata pudoris,
Carmina castis auribus vsque
Digna sonat, laudesq; Dei plectro aptat Etrusco,
Quas numeris caelestibus olim
Iessaeus cecinit Vates. quo hîc gratior aura
Te sequitur, maioraq; longe
Praemia deinde manent: æqua cum lance rependens
Facta benè; ac benè dicta piorum
Rex Caeli, æternis redimitam tempora sertis
Aetheria te in sede locabit:
Angelicis vbi iuncta choris, animisq; beatis
Perpetuos modulaberis hymnos.
Sed tu LAVRA *tamen, dum mente haec concipis al-*
Exiguos ne despice flores, (*ta,*
Quos tibi, ad indicium studij, atq; ingentis amoris,

Legit parui Musa Gigantis,
Dum Prato in viridi terit ocia, nec sibi visus
Est laudum expers esse tuarum;
Nobilis Vrbini cùm non procul vrbe Penates
Ipse suos veneretur, apricas
Quà valles secat, & Sempronii moenia laeto
Subter labitur amne Metaurus.

De Coniugio FRANCISCI MARIAE Vrbinatum Principis, & LVCRETIAE ATESTINAE.

NOBILIVM eximias laudes, & fortia facta
Heroum, claramq; vetusto
Sanguine progeniem, armis, imperioq; potentē,
Tum plectro, tum carmine digno
Dicere, formosus paucis concessit Apollo.
Me verò tam insana cupido
Non agit, vt sperem QVERCVS ingentis honores
Exiguis comprendere chartis.
Pauca tamen liceat laetanti corde profari,
Dum felicia fata Metauri
Admiror: qui Italos inter celeberrimus amnes
Laetitiae dans signa recentis,
Splendidior solito, ac penè exultantibus vndis
Adriacum procurrit in æquor.
Cùm coetus passim per ripas cernat ouantes
Laetis indulgere choreis,
Et festos agitare dies, ac instar olorum

Ferre

Ferre sui super æthera cantu
FRANCISCI MARIAE laudes, eiusq; beatos
Certatim celebrare hymenaeos.
Salue dijs gratum superis, ac nobile flumen,
Tuq; ò felicissima tellus
Salue, haud obscuris meritis dignissima tanto
Principe. quem florente iuuenta
Ingentes decorant animi, moresq; benigni,
Et prudentia grandior annis.
Cuius & egregias mirata Hispania dotes
Nuper magno excepit honore.
Hinc etiam Italia illum planè suspicit omnis,
Magnanimûmq; agnoscit auorum
Dignum stirpe genus, seu quâ gens FELTRIA nomen
Dat ducibus memoranda vetustis:
Seu quâ alto gemini clarent de ROBORE summi
Pontifices, & Martia proles.
Fortunatae Vrbes, queis tam felicia Parcae
Stamina neuere, atque secundo
Numine Caelicolum longa iam pace quietis
Nunc GVIDO moderatur VBALDVS
Lenibus imperijs, felix pater, inclyta cuius
Insistens vestigia natus
Sceptra reget. Quidnam te nobilis ora Pisaurì
Non olim sperare decebit
Illius auspicijs? alij ditissima regna
Iactabunt, finesq; patentes:

Tu tamen hoc proprio ſuperûm laetabere dono,
Quòd tales tibi ſemper habere
Dent dominos: quorum meritis (quando optima lar-
Compenſant Dij facta piorum) gè
En tibi, cùm toto ſaeuit Mars triſtis in orbe,
Praecipuam dextro omine fundunt
Laetitiam, priſcoſq; nouis ſplendoribus augent.
Dum LVCRETIA, *clara propago*
Stirpis ATESTINAE, *gemmis inſignis, & auro,*
Ac procerum comitata cateruis,
Coniugis eximij gaudens ſubit aurea tecta.
Quam genus alto à ſanguine Regum
Ducentem exornat miro Venus alma decore:
Et centum cui pectus honeſtum
Artibus erudiunt Pallas, doctaeq; ſorores.
Huius in aduentu omnia plauſu
Litora pulſa ſonant, amnes, colleſq; virentes,
Et latè nemus omne reſultat.
Quò mage fauſta licet praenoſcere fata nepotum,
Quos terrae, caeliq; fauores
Praeueniunt tanti. Soboles hinc maxima ſurget,
Quae quondam protendat auitum
Imperium, & decus augeat immortale parentum.
Sic, ò ſic cuncti omina firment
Caelicolae, inq; dies ipſis noua gaudia ſponſis
Amplificent, populoq; fideli.

5. Aprilis 1570.

NVM

Ad IVLIVM FELTRIVM de RVVERE Cardinalem Amplis.

NVM me, quòd meritis pro tantis, Inclyte IVLI,
Grates tibi non egerim
Praesenti, nec signa humilis dederim vlla
Vel fronte, vel curuo genu, (clientis
Ingratum dices? nec dignum, quem ampliùs ipse
Fauore tuteris tuo?
An potius (tua quae bonitas est plurima) agresti
Parces pudori, & quem semel
Officijs vltrò fouisti, hunc protinus omni
Iuuare mox perges ope?
Nempè tui hoc animi est proprium, ingenijq; benigni;
Mutare nec te erit potis
Aut mens cuiusquam rudis, aut inscitia rerum,
Aut benefici obliuio.
Ast ego, quàm meriti immemoris tibi nomine fiam
Suspectus, optarim prius,
Cuncti vt inexpletis odijs homines q;, deùmq;
Me prosequantur numina.
Hac igitur sine me tutam spe ducere vitam,
Quocúnque fata deferent;
Vt me, seu primo reuocatus amore Matauri
Sedes paternas incolam:
Seu iubeant alia dij me consistere terra,
Credas tibi addictissimum.

Quam

Quam si ego te veniam exoro, iucundius ævum
Beatiusq; transigam;
Quàm si diuitijs pleno fors aurea cornu
Me ditet, atque honoribus.

Ad GEORGIVM GOTIVM Raguſinum. Romam.

GOTI, meorum amabiliſsime omnium
Sodalium, quot nunc mihi
Sunt, aut fuere, aut poſt erunt, dum ſpiritus
Haec membra vitalis reget:
Cur literas ſitire me dulciſsimas
Diutius ſinis tuas?
Nam quinq; iam ferè peractis menſibus
Tuum queror ſilentium.
Nunquid tibi fluxiſſe me dicam ſinu?
Sed abſit, hoc vt ſuſpicer,
Notamuè turpem amico inuram candido.
Quid ergò? num te forſitan
Minus valere cogitem? at menti omina
Dij triſtia auertant piae.
Quin optimè tibi eſſe, teq; mutuo
Gigantem amore proſequi,
Tam continenter credo, quàm lubens velim.
Aſt interim mihi malè
Scito eſſe, GOTI: non quòd artus langueant,
Sed quòd laboret anxia

Mens,

Mens, dum tabellas tandiu expectat tuas.
Quòd te per omnes Gratias
Oro, hanc vt illi deleas moleſtiam.
Sic te viciſſim caelites
Ament benigni, ac iam tibi diutinum
Benè explicent negocium.

Ad CAESAREM CAVANILIVM.

INGENTES Cavanilio
Grates Muſa, precor, nunc age CAESARI,
Quem non eſſe mei ſinunt
Oblitum ſpatia aut temporis, aut loci.
Et nuper mihi pyxidem
Miſit perlepidam, vt pluribus vndiq;
Muſaeum decoret meum:
Quam longè pateris me iuuat aureis
Praeferre, atque ebori Indico
Caelato egregia Praxitelis manu.
At me obſtrinxerat antea
Multis ille quidem nominibus ſibi;
Dum ſermonibus, & iocis
Me dignat, placidusq; officijs fouet:
Ergò illi magis ac magis
Me addictum fateor, nec meriti immemor
Lethes lurida flumina
Tranabo; & mea ſi quid poterit lyra,
Nomen nobile CAESARIS
Ediſcet ſuperum litus, et inferum.

AL-

Ad ALBERTVM ALBERTANVM Collenſem, Prætori Pratenſi aſſeſſorem.

O COLLIS *altis nobilior iugis,*
Cingunt potentem quot quot Hetruriam,
Inſignium à ſator virorum,
Fertilibusq; opulente glebis;
Hunc laetus hymnum ſuſcipe, quem ſacras
Biſenti ad vndas condidimus, tuum
Praeconio Ciuem efferentes
Non humili, neq; laude ficta.
Praeclaram in illo nanq; peritiam
Boniq;, & æqui dicimus inſitam,
Mentemq; ab omni labe tutam,
Muneribusq; manum abſtinentem.
His nempè quisquis praeditus artibus
Iudex tribunal ſcandet, is omnium
Hinc inde virtutum cateruas
Ordine conſpiciet decoro
Sibi aſſidentes; nec ſuperûm Pater
Nequicquam ab altis verticibus poli
Spectabit illum iudicantem,
Aurea nec Themidis puella.
Quae, vt fertur, olim moribus improbis
Infenſa terras deſeruit graues,
Caelumq; ſublime, & parentis
Sidereas repetiuit arces.

ALBER-

ALBERTE ſed tu, quiq̃ tibi pares
Intaminatos iuſtitiae gerunt
Faſces, eam feliciori
Omine conciliatis orbi.
Dum nec ſeueras parcitis in reos
Inferre poenas, nec ſinitis mala
Quenquam opprimi fraude innocentem,
Aut hominum rabie potentum.
Vos & benignam patre carentibus
Praebetis aurem; vos viduas (pium
Opus) tuemini, aduenasq̃
Praeſidio, atq; inopes ſouetis.
Dij magna vobis praemia pro bene
Factis rependant; praemia, quae vorax
Nec tempus vnquam auferre poſſit,
Nec Lacheſis violenta dextra.
Tum veſtra doctis nomina paginis,
Veſtrasq̃ laudes carmine praedicet
Amabili, cuicunq; dexter
Cynthius adfuerit canenti.
Me nanq; grati (quicquid id eſt) tibi
Praeſtaſſe amici officium iuuat,
Meisq̃ te ALBERTANE dulcis
(Quod potui) voluiſſe paruis
Ornare ſcriptis; dum populus frequens
Pratenſis actus approbat integros,
Tuamq̃ procurationem
Egregio celebrat fauore.

Ad INGHIRAMVM INGHIRAMIVM Pratenſem.

MVLTAM INGHIRAMO *dic Muſa rogata ſalutem*
Sodali amabiliſſimo.
Quem modo languentem quamuis inuiſere ceſſem
Cauſſa impeditus non leui:
Non tamen ille mihi ex animo, non illius vnquam
Ab ore nomen excidit.
Atq; haec vera quidem teſtantem nomine noſtro
Te, non ſinet RENERIVS
Mentiri, noſtri ſyncerus pectoris index,
Idemq; conſors omnium
Sermonum. At ſi quo obſequio me poſſe leuare
Nunc illius morbum rear:
Haud equidem pigeat totas aſſiſtere noctes.
Quin frigus acre perferens,
Iuſſus in Alpinis etiam nunc montibus auſim
Herbas ſalubres quaerere.
Sed quando auxilium illi ferre aliunde nequimus,
Non interim ceſſabimus
In vota, & caeli ſupremum poſcere regem;
Vt priſtinas ocyſſimè
Reſtituat vires ægro roburq; ſodali.
Sic me pia aure exaudiat,
Atq; reum voti genitor me reddat, vt ipſe
Promiſſa perſoluam libens.

QVEM

Ad Eundem.

QVEM modò ſolicitum, ac languentem triſtis adi-
Nunc laetum, rectéq; valentem (bas,
Tu quoq; laeta meum INGHIRAMVM inuiſe
Quoſq; recens mandauit honores (Thalia:
Magnanimus Princeps, ſoboles Magni inclyta Cos
Quod poteris, gratare merenti. (Mi,
Sed caue, ne longo fruſtrà ſermone moreris
Res multas, abitumq; parantem.
Quin ſatis officio paucis feciſſe putato:
Nanq; tuis augeſcere verbis
Iam nequeunt noſtri, nec item decreſcere amores.
Quod felix, fauſtumq; precata
Illi iter, ac laetos faſces, haec tum breuis adde.
Annua te, INGHIRAME, tenebit
Praetura abſentem Fiuiſani: Antonius Vrbem
Felſineam fors antè reuiſet,
Quàm Phoebi currum furiet vis ſaeua Leonis.
Sic diuerſae hoc tempore habebunt
Vos terrae; ſed amor ſpatijs non diuidat vllis,
Dum reduces iterum, incolumesq;
Ambos Caelicolae Biſenti ad flumina ſiſtant;
Cum lepidiſq; ſodalibus vnà
Dulcia libantes interdum pocula Baccho,
Villula vos Pimontis obumbret.

Ad ACHILLEM BECCATELLVM Cæsaris Filium.

SIT acre quamuis ingenium tibi,
Dilecte ACHILLES, *adsit & optimas*
Propensa ad artes singulari
Munere Caelicolum voluntas;
Tamen recessus Pieridum sacros
Adire nullo cum duce praeuio
Frustra laborabis, nec vnquam
Castalij hauseris ore fontes.
Errore multos nam via lubrico
Anceps fefellit, nec minus in dies
Fallet, sibi dum quisque fidens
Gaudet iter tenuisse rectum.
At quem recursus turpis ad vltimum
Limen reducit, sibilus, & procax
Viciniae risus dolentem,
Et nota consequitur perennis.
Non expedito tramite certior
Te sistet index, quàm veterum aurea
Vestigia: haec insiste fortis,
Huc acies, animumq; flecte.
Hos te sequentem non pudor, aut metus
Vexabit vllo tempore deuium;
Sed dulcis hinc victorem oliua
Te manet, & requies laborum.
Qui destinatum dirigit ad scopum

Certus

Certus ſagittas, propoſito minus
Aberrat. ergo aude optimos iam
Nunc ſtudio puer æmulari.

In Obitu MARCI TVLLII BEROI Bononienſis.

MARCI funera TVLLII,
Quem longè et propè deflent Heliconia
Quot quot ſacra petunt iuga,
Lugubri ipſe etiam carmine proſequar;
Etſi, dum capitis mihi
Tam cari memoro ſaepius exitum,
Maior me cruciat dolor.
Sed quî non animo ſemper erit tua
Impreſſa effigies meo
BEROE? aut ſpatium quod mihi temporis
Poſthac tam breue defluet,
Quin docti vſque tui ſim alloquij memor,
Muſaeq́, & lyrae amabilis?
Qua, campos vbi opimos minor irrigat
Rhenus, nulla ſonantior
Molles detinuit Naiadum choros.
Infelix hominum genus,
Subiectum & miſeris conditionibus;
Cui nullo Superi bono
Dant longis proprio temporibus frui.
Eheu mors nimium potens,

Et

Et nobis nimium immitis, & inuida,
Quanto moenia Felsinae
Nunc moerore reples; quo gemitu optimam
Matrem conficis, & piam
Vxorem, & puerum spem patris vnicam.
Me verò vt facis intimo
In corde assiduam ferre molestiam.
Ergò exinde Bononiam
Visens, te, vt soleo, non ibi, candide
Tulli, conueniam? ò diem
Atrum, quo sine te conspiciam tuas
Aedes, hospitium modò
Musis, & lepidis dulce sodalibus?
Sed tu, quandoquidem nequis
Flendo Caelicolûm flectere numina, &
Fati iura resoluere,
Intermitte grauem barbite naeniam.

Ad OLIVERIVM Fratrem.

IAM *iam seuerum rumpe silentium*
Clio, & iocosam nunc quoq; barbiton
Clauo refigens affluentes
Laetitia meditare versus:
Quando acriori soliciiudine

Frater

Frater ſolutum me fore nunciat,
Iuncta viro frugi, ac honeſto
Connubio ſtabili ſorore.
O mî ſuaues fratris epiſtolas,
Longo & cupitum tempore nuncium,
Iucundior quo nullus vnquam
Antè meas hilarauit aures.
Tandem benigni Dij pia vota, Dij
Bonae puellae, matris & optimae
Exaudierunt, exituq́
Damna morae reparant ſecundo.
Agè ergò veſtes exue lugubres
Germana dulcis, teq́ nitentibus
Stolis amictam oſtende ſponſo
Ducq́ libens hilares choreas.
Audis canentes dulce puellulas?
Audis ſonora cum fidibus iam?
Cernis faces? cernis cateruam?
Sponſus adeſt, age laeta prodi.
Sponſus, beati contulerunt bona
Cui multa diui, ſanguine nobili
Sato, cui & alma Aſtraea dignos
Iam peperit, parietq́ honores.
Nunc tu quae in imo gaudia pectore
Dilecta mater concipis? vt preces,
Vt gratias, vt thura ad aras

Fers,

Fers, genero decorata tanto?
Hinc frater & te quàm pote maximè
Amo merentem. tu mihi ab vnguibus
(Sic eſt) tenellis praebuiſti
Te ſtudio, atque animo parentem.
Per te Patronum ſortior optimum
Primum quod inter munera Caelitum
Repono: per te nulla mentem
Cura mihi ſubijt moleſta.
Nam tu paternam rem benè prouidus
Curas, tuorum & ſubſidio domum
Leuas laborum: idem & ſorores
Dote bonis ſocias maritis.
Sume ergò, multis quae tibi millibus
Pro gratijs nunc carmina mittimus
Tuſcis ab oris, geſtiente
Laetitia modulata plectro:
Cùm te viderer cernere, & alloqui,
Tecumq; eodem tempore nuptias
Ornare: ſic ingens repente
Me mihi ſurripuit voluptas.
O ſi reducant ad patrios lares
Me fata quondam, & ſede quieſcere
Certa ſinant; vt laetus ora
BENTIVOLI inſpiciam, vtq; tecum
Eius libenter colloquijs fruar.
Vt me iuuabit grata ſuburbia

Aloyſius Bentiuolus Iuriſconſul. Foroſempronienſis.

Luſtra-

Luſtrare vobiſcum, Metauri
Et Virides peragrare ripas,
Colleſq; apricos. Saepe Bionium
Viſemus, & trans flumen agellulum;
Nunc in virenti conſidentes
Gramine, nunc nitido in receſſu.
Tunc & Camoenam vos propius meam
Quandoq; magnas dicere FELTRII
Laudes IVLI *exaudietis:*
O vtinam cithara, atq; plectro,
Dignisq; tanto Principe verſibus.
Laudare quiſquam ſi tamen equalet
Digne virum virtute clarum
Eximia, eximioq; honore.
Quem Roma primis ordinibus patrum
Spectat ſedentem, & datibus inclytis
Latè relucentem, vt ſub axe
Emicat Arctophilax ſereno.
Nil ille celſa mente agitat prius,
Quàm plurimis prodeſſe clientibus
Et maximis Sempronienſes
Officijs cumulare ciues.
Illius & nunc auſpicijs chori
Noſtras ouantes laetificant domos:
Quare ille nobis hoc vel vno
Nomine ſemper erit colendus.
Sed tu decentem pone modum meae

Iulius Feltrius de Ruuere Card.

Nimis procaci Musa licentiae;
Nam gaudio exultans recenti
Mens refugit reperire finem.

Ad NICOLAVM TALAMIVM Presbyterum Regiensem.

NON ego, quae hospitibus proceres dant splen-
Eualeo tibi munera paruus (dida magni,
Largiri. at nostro ne non donatus abires
Musaeo, dilecte sodalis;
Pauca haec, exiguum monimentum ingentis amoris,
Carmina dat tibi ferre Thalia:
Carmina Pierio nequicquam sparsa lepore,
Nec verbis contexta disertis;
Nomine at hoc vno fors non ingrata futura,
Quòd calamo sunt scripta Gigantis.
Cuius amore, cadens caelo nix lenta quieto,
Candidior non insidet aruis.
Hic Venetis olim cum primùm coepit in oris,
Tam altas nostro in pectore fixit
Radices, inde vt nequeat diuellier vnquam.
Hinc est, quòd mihi tempore nullo
Effluis ex animo, seu dulcis patria, siue
Te Ferraria magna moratur:
Seu cum MARTELLO docto, lepidoq; patrono
Sacra tenent te moenia Romae.
Vnde ego post sextum nunc te laetissimus annum

Franciscus Martellus Episcop. Regiensis.

Accipio

Accipio incolumem. ò mihi fauſtum
Hunc, hilaremq; diem, tua quo exoptata videre
Contigit ora, audireq; verba.
Iam modò te aſpiciens poſſum quoſcunq; labores,
Curasq; obliuiſcier omnes.
Quòd ſi perpetuam hanc Superi dent eſſe benigni
Laetitiam, nihil amplius optem.
Tu verò vixdum poſita en calcaria rurſum
Irrequietis calcibus aptas,
Vt pinguem Eridanum, atq; Eſtenſia regna reuiſas,
Et patrios exinde penates.
Cui deſiderio planè dulciq;, pioq;
Ipſe meum haud praeponere tendam:
Nempe exorando, vt tibi mecum pluribus vnà
Hîc libeat remanere diebus.
Quin animo praecepta ſenis memoranda reuoluens
Maeonij, vt laetus venientem
Excepi, ſic te patiar non triſtis abire.
Ifelix ergò, atq; ſecundo
Omine; & ad ſanctas vbicunq; acceſſeris aras
Facturus pia ſacra ſacerdos:
Tunc (tua quae bonitas, Talami, eſt plurima) noſtrũ
Praecipuè reminiſcere nomen.

Ad Amicum Epitaphia ſcribentem.

QVAE *noua te pietas cogit, quae cura, quod arctũ*
Amoris vrget vinculum?

Cuncta tuis passim scriptis onerare sepulchra
Omni carentibus sale?
Non ne esset satius, quod nos te hortamur amanter,
Vt tu tibi nunc conderes
Viuens, quae tumulo inscribi post funera velles;
Nec posteris relinqueres
Curā hanc? quam, mihi crede, sibi si sumere quisquā
Volet (quod auguror) mala
Multa, nec immeritò mordaci carmine dicet
De te. Ergò si sapis miser,
Mitte aliena tuis scriptis turpare sepulchra
Posthac, tibiq; consule.

Ad PHILIPPVM GERIVM Episcopum Assisiatem.

NVNC *imbre tristi, flamine nunc truci*
Iandudum iniquè nos Boreas premens,
Vix Baziano rure tandem
Cogit abire minus volentes.
Sic molliori tempore amoenitas,
Et grata iuuit temperies loci,
Tuis videri nempè digni
Luminibus venerande GERI.
Circumuolabunt iam volucres vagae
Impunè saepes, pratáq;, & arbores,
Nec rete, nec viscum tenacem,
Nec celeres metuent sagittas.

Magna

Magna vnde earum cum nece plurimos
Nobis voluptas maxima per dies
Obuenit, exercente membra
Perlepido, ac ſalubri labore.
O rus apricum quàm repetam libens
Mox te, ſereni cùm aura Fauonij
Nouos tibi inducet colores,
Arboribusq; comas reponet.
Sic tum beatì dij quoq; ſoſpitem
Hîc te intueri dent mihi, candide
Patrone, perq; vt hanc opimam
Planitiem comiter vagantem.
Curis ſolutus tum grauioribus
Gaudebis amplae mirifico domus
Proſpectu in agros, elegantum
Et ſerie, & ſtudijs nepotum.
Noſtrae nec interdum fugies rudem
Cantum Camoenae; quae (tibi gratia)
Dudum ocio dulci, ac honeſto,
Et placida fruitur quiete.

In IOANNEM AVSTRIACVM CAROLI V. Imp. Aug. F.

HEROA & alto ſanguine, & inclyta
Virtute clarum, qui modò barbarûm
Capta & fugata claſſe magnis
Heſperias decorat trophaeis,

Laetanti

Laetanti & ore, & pectine concinens,
Dicam decentes principiò tibi
Rex CHRISTE *laudes, qui perenne*
Praesidium es, columenq; nostri.
Tuae refertur nanq; potentiae
Accepta tanti gloria praelij:
Tuae Crucis vexilla nobis
Eximiam hanc peperere palmam.
Nam tu sacrato foedere Maximum
PIVM, *& potentem fortis Iberiae*
Regem PHILIPPVM, *principemq;*
Magnanimum Veneti Senatus
Mirè obligasti. tu ducibus bonum
Rebus gerendis consilium, & piam
Mentem, atq; dextras praevalentes,
Militibusq; animos dedisti.
Tibi imperanti paruit illicò
Ventusq;, & aequor, cùm tremor, et metus
Invasit hostes, tot per annos
Innumeris spolijs superbos.
Suisq; tandem foedifragi Scythae
Docti ruinis, nos tibi sentiunt
Fuisse cordi, quem piorum
Immemorem fore cogitabant.
Tibi ergò in omni tempore debitas
Pro singulari munere gratias
Reddemus, & sacris honorem

Trae-

Praecipuum faciemus aris.
At ſedibus iam cantum ab Olympijs
Clio pudenter retrahe, lucida &
Conuexa contemplare mecum:
Quamq; alijs magis emicantem
Stellam notabis, AVSTRIACI *decus*
IOANNIS *illi confer: in infimo*
Hoc orbe quando ipſius aequae
Omnia ſunt meritis minora.
Proindè paulùm non aberit ſcopo,
Excelſa laudum culmina qui petet
Tanti Ducis, quanquam arte pollens
Pindarica benè tendat arcum.
Verùm quis addat lucem Hyperioni?
Quis caelum, & omnes aetheris ambitus
Metetur? aut maris procellas
Dinumeret, Lybicasve arenas?
Nempè haec profari me decuit, tuos
Dum ſtrictim honores carmine perſequor;
Ne quando te illuſtrare dicar
Exiguis voluiſſe chartis,
O clara imago, certaq; CAROLI
Proles, ab vndis occiduis recens
Exorte Sol, eclipſim Eoae
Perpetuam impoſiture lunae:
Obtuſa quae iam cornua contrahit,
Nec non tepenti ſanguine turbida,

Qui

Quo caede inaudita refuſo
Ionij rubuere fluctus.
Vbi ſupremi militiae ducis
Mirè executum munera te refert
Diſperſa iam totum per orbem
Fama, iuga exſuperans, & vndas.
Aſt ipſe non tam praevalidas manus,
Et forte pectus, dulceq; milites
Sermonem ad arma concitantem,
Conſiliumq;, animumq; magnum
Admiror: illudq; facinus, pio
Dignum te alumno Caeſaris, & Dei
Cultore. nempè quòd ſupernum
Auxilium ratibus, virisq;
Duxiſti, & omni praeſidio prius,
Quodcunq; ſummus Romulidum Pater,
Fratriſq; regna, & Adrianum
Imperium tibi contulerunt.
Praeconijs te multimodis licet
Vates amici Pieridum, & tuas
Cùm pace, tùm bello enitentes
Concelebrent ſine fine dotes:
Non vlla certè ſic tibi ſplendida
Crines ouanti laurea vinciet,
Vt illa, quam ſummè decoram
Impoſuit pietas coronam.
Haec glorioſos ſemper in arduis

Bellis

Bellis triumphos rettulit optimo
Quondam parenti, teſtis Albis,
Qui (inſolitum) vada perſequenti
CHRISTI *rebelles obtulit, ipſeq;*
Sol teſtis, illo qui IOSVEM *die*
Spectans ſecundò praeliantem
Segnior oceanum ſubiuit.
Quid ergò tanta te duce praedito
Virtute nobis poſt modò non erit
Sperandum? hyems nimboſa, & Euri
Cedite iam Zephiris ſerenis:
Sterne aequor vndas: en iuuenis Deo
Dilectus hoſtes rurſus in impios
Praegeſtit inuictas triremes
Soluere Trinacrijs ab oris.
Videre lembos iam videor citos
Cypri receptae currere nuncios,
Graecumq;, & Afrum audire litus
Chriſtiadum imperijs ſubactum:
Et quicquid omnes fatidici canunt,
Vno ore noſtris proſpera claſſibus
Praenunciantes; at Selimo
Exitium, miſerasq; clades.
Sic ò tuorum vota fidelium
Exaudi Olympi rector, & annue,
Vt finis hoc ſpe maius omni
Principium melior ſequatur.

Quo vera latè religio, & tuum
Nomen colatur, quoq; recentibus
Subinde palmis, atq; opimis
Clareat AVSTRIACVS *triumphis.*

In diem Festum D. NICOLAI Myræ Episcopi, & Confess. MDLXXI.

FESTA lux Diui NICOLAI *adest*
En redit, mecum celebrate laeti
Quotquot ipsius properastis aedem
Visere sacram.
Nunc boni vos ò pueri, & puellae,
Vos & ò Matres, iuuenes, patresq;
Hanc piè, & purè colite, atq; inanes
Mittite curas.
Garrulas hîc nos cohibere linguas,
Et vagas par est reuocare mentes:
Ah leues absint, precor, hinc susurri,
Vanaq; verba.
Haec Dei summi domus est, honores
Hanc decent, odesq; sacrae: benignas
Ergò nunc praebete mihi, meisq;
Cantibus aures.
At chelys ò ne te pudeat sonoras
Pectimi chordas sociare, dum nos
Ipsius Diui meditamur altas
Dicere laudes.

Nam

Nam Dauid vates quoq; fertur olim
Ad lyram certis cecinisse metris
Mistícos hymnos, quibus vniuersus
Vtitur orbis.
Sed prius quidnam referam? an parenti
Anxio iactos loculos sub atra
Nocte, quo natis emeret pudica
Dote maritos?
Te te id inprimis facinus benignum
Diue clarauit viridi iuuenta,
Cùm ducem iam tum sequerere tote
Pectore CHRISTVM.
Haec fuit quondam tibi prorsus vna
Cura, de multis bene promereri,
Ac opes sic te penitus paternas
Fundere iuuit.
Mox tuae postquam Patarae fuisti
Vtilis multùm, tua vt eniteret
Latius virtus, populus Myrensis
Numine sancto
Percitus, rerum sibi te sacrarum
Praesidem asciuit, regimenq; magno
Vrbis applausu tibi deneganti
Detulit vltro.
Iam quis ingentes numeret labores
Pro grege exhaustos, animiq; curas,
Dum lupos arcens aleres tenellos
Prouidus agnos? Dd 2 O My-

O Myram planè nimium beatam,
Ora dum tanti patris & magistri,
Sanctaq; illius documenta quondam
Cernis, & audis.
At nimis versa vice nunc miserlam
Te dolens dicam, Lyciamq;, & omnes
Proximas oras nimiùm miserlas
Usq; vocabo;
Donec à falso Mahomete latam
Respuant legem, indecoresq; ritus,
Et piè, ac rectis animis IESV
Nomen adorent.
Magna sed Regis bonitas superni
Forsitan caecas miserata gentes
Nunc eis summi dabit intueri
Lumina Solis:
Quando iam nostras adeò secunda
Aura fert classes, Asiam petentes,
Cultũ ibi vt priscum renouẽt, Crucisq; in-
signia figant.
Sic Deus faxit citò, sic precemur,
Vt bonos coeptus melior sequatur
Exitus: sic tu Nicolae nostra
Vota, precesq;
Perfer ad sanctae Dr̃eitatis aures,
Semper & nobis faueas patronus,
Vt tuis grati referamus aris
Sacra quotannis

QVA-

Ad GABRIELEM PALAEOTVM Card. ampliſs. ac Bononiæ primum Archiepiſcopum.

QVALIS *Arctoas rediens ab Auſtro*
Nunc plagas grata vice Sol reuiſit,
At q; humum leni recreans tepore
Veſtit, & ornat:
Ad tuam felix reditus cathedram
Pontifex magne, exhilarat decorae
Felſinae vultus, animisq; laeta
Cuncta reducit.
Soſpitem nunc te pia ſponſa plauſu
Excipit gaudens, venerata ſacrum,
Quo recens ornas humeros, monile,
Sanctaq; ſummi
Regis elata ante oculos Trophaea:
Corde quae puro tamen ipſe ſemper
Sculpta circunfers, humiliq; ſeruas
Mente repoſta.
Nae tuae iuge eſt pietatis vnum
Hoc opus, votumq;, iuuare caram
Optimis non tam patriam inſtitutis,
Conſiliÿsq;;
Quàm nouis ſemper decorare donis:
Inſubrum vt pridem rediens ab oris,
Cum ſacros Diuùm cineres, & oſſa
Sacra tuliſti.

En

En modò illustrem titulum merenti
Addis, vt septem caput, atq; Mater
Vrbium, sacrae ditionis aucto
Iure, vocetur.
Maximo sic GREGORIO *probante.*
Singulas sed iam memorare longum est
Res tuas rectè, & sapienter actas,
Laudeq; dignas.
Nostra nec tantùm tenuis Camoena
Audet: externas neque tu libenter
Suscipis laudes, meditans beata
Praemia caeli.
Ergò dum fausto populi frequentis
Excitor plausu, peragente sacra
Te modò, ac dio aurea proloquente
Verba lepore;
Me stylo incultis, numeroq; paucis
Versibus, summè tibi gratulantis
Sit satis parua haec voluisse mentis
Edere signa.

De Torque Ordinis Tosoni ab OCTAVIO FARNESIO Parmæ Duce, PHILIPPI Hispaniarum Regis nomine, FRANCISCO MARIAE FELTRIO de RVVERE Vrbini Duci, solemniter collato. Bononiae die 15. Septembris. MDXXCV.

VRBINI DVCIS *inclyti*
Laudes egregias, vix celeberrimus

Digno

Digno dicere carmine
Praeco ſufficeret fortis Achillei.
Ergò illis humili ſtylo
Ne tu Pieri ſperes decus addere:
Sed tantum modò Principem
Vt par eſt, venerans, quaere, quid indicet
Torques circa humeros, recens
Munus magnanimi Regis Iberiae.
Atqui fabula Iaſonem
Non hîc auriculis commemoret pijs:
Nec taurum aeripedem dolis
Medeae domitum, raptaq; vellera.
Quin ſit credere dignius,
Signari hiſtoriam Gedeonis ſacram.
Qui nunc rore madente, nunc
Sicco vellere, magni auxilium Dei
Expertus, comitum manu
Vel parua innumeros perdidit hoſtium.
Hinc & qui prior ordinem
Tam clarum inſtituit, velleris aurea
Inſigniuit imagine
Delectos proceres: rebus in arduis
Diuinae vt memores opis
Diſcant, non propriis fidere viribus.
Ipſorum quoq; in omnibus
Scintillet pietas, iuſtitia, & fides:
Et quo mens magis anxia

Aduerſis

Aduerſis premitur, tum magis ac magis
Virtus cedere neſcia
Erecta, atq; hilari fronte refulgeat.
En quid pectore pendulum
Vellus, quidve micans è ſilice arguit
Flammarum globus vndiq;,
Ignarum niſi me fallit opinio.
Quòd ſi tu quoq; id approbas,
Hunc hymnum ſinito mixtum alijs ferat
Pennis fama celerrimis,
Quocunq; ibit ouans nuncia nobilis
Pompæ, quam modò Felſinae
Plauſu, atq; omnigenis laetitiae notis
Spectauit populus frequens,
Ac permagna virûm nobilium cohors.
Dum conſanguinei Duces,
Altae ambo Italiae fulgida lumina,
Felici vnanimes idem
Congreſſu ſubeunt hoſpitium ſimul:
Et dum mox ab Auunculo
Gabriel Card. Palæotus. *Ante aras* (GABRIEL *purpureus Deo*
Praeſul cùm faceret ſacrum)
Praeclara Auſtriaci munera Feltrius
Heros ſumit, & additum
Virtuti eximiae eximium decus.

Te

In Translatione SS. ZAMAE, & FAVSTINIANI primi, & secundi Bononiæ Episcoporum celebrata die 4. Maij. M D X X C V I.

In S. ZAMAM.

TE ZAMA *sancte concinit*
Bononiensis Ciuitas:
Primumq; CHRISTI dogmatum
Suum magistrum praedicat.
Tu nanq; primus horridas
Eius tenebras discutis;
Quas impiorum daemonum
Obduxerant fallaciae.
Romanus olim Pontifex
Te misit huc Dionysius,
Praesagiens diuinitus
Laetum laboris exitum.
Pastore tunc te praeuio
Ouile CHRISTI Felsina
Inuenit, & mox prospere
Grex auctus est fidelium.
Deinde per tot secula
Precum tuarum munere
Cultus Dei purissimus
Magis magisq; floruit.
Hinc omne semper abstitit
Lethale virus haeresum:

Templisq; & aris debiti
Sunt hîc honores redditi.
Nos ergò nunc piè patrum
Ritus sequentes optimos,
Tuis sacratis ossibus,
Pompam celebrem ducimus.
Hanc ò Beate poscimus,
Vt actionem comprobes,
Tuos nec vnquàm supplices
Patrocinando deseras.
Te deprecante gloriae
Rex CHRISTVS *Indulgentia*
Culpas remittens, largius
Nos muneretur gratia.
Qui glorioſus inferi
Arcem tyranni diruens
Caelo triumphum rettulit,
Terrisq; pacem reddidit.

In Eundem.

ECCE *qui summo placuit sacerdos*
Caelitum Patri, vigil, atq; solers
Crediti pastor gregis. ecce prudens
Ille minister:
Qui domus curam benè diligentem
Gessit, & seruos domini benignè
Pauit. en cultor sibi destinati
Impiger agri. *Hic*

Hic micans latè veluti lucerna,
Aureus quin Sol veluti refulgens,
Deuias mentes hominum tenebris
Traxit ab imis.
Nam Dei leges populum docebat
Verbo, & exemplo. pietas, fides q;
Huic erat córdi, & ſine labe ſacrum
Munus obibat.
Nempè mortalis tibi dum manebat
Vita, te talem legimus fuiſſe:
Plurima & de te monumenta patrum
Priſca loquuntur.
Sed quis enarret, ZAMA ſancte, qualis
Nunc poli celſa reſidens in arce
Fulgeas, & quem tibi Rex Olympi
Donet honorem?
Non eò humanae penetrare mentes
Eualent. aſtò liceat precante
Diue te nobis fragili ſolutis
Corpore quondam,
Sic te ibi laetis oculis videre,
Vt tua hìc laetis animis reperta
Oſſa honorantes loculo, & decora
Condimus ara.

In S. FAVSTINIANVM.

FAVSTINIANVM *Felſinae*
Antiſtitem ſanctiſſimum
Ornare ſacris laudibus
Par eſt in omni tempore.
Hac luce verò cantibus,
Hymniſq; vela pandere,
Eius beata pignora
Piè colentes condecet.
Iam mille Solis circuli,
Centumq; bis, vel amplius
Fluxere, quòd non nobili
Loco iacebant condita.
Metropolis at nunc dignitas,
Recensq; ſplendor pulchrius
Parando conditorium,
Felix trophaeum protulit:
Id tu videns Bononia
Laudes viciſſim concine,
Puroq; voces pectore,
Et ſigna prome gaudij.
Sed ante Regi gloriae
Perſolue grates debitas:
Qui te nouorum copia
Ditat ſubinde munerum.
Eius benigno numine

Noſtros

Noſtros tuente fertiles
Pax alma fines incolit.
Et aeris ſalubritas.
Non hìc doloſus improbae
Auditur hydrae ſibilus:
Sed orthodoxus dogmatum
Vbique cultus emicat.
Haec tanta Dine commoda
FAVSTINIANE *poſcimus*
Nobis tuo ſuffragio
Longaeua CHRISTVS *annuat.*
Sic deinde temporalibus
Det rebus vti ſobriè,
Vt ſempiternae gloriae
Poſt conſequamur praemia.

In SS. ZAMAM, & FAVSTINIANVM.

SALVETE *ſancti Eccleſiae*
Bononienſis Praeſules:
Saluete Patres inclyti,
Et Ciuitatis lumina.
Tu ZAMA *primus arduis*
CHRISTO *gregem laboribus,*
Hìc comparaſti, & pabulo
Sacri educaſti dogmatis.
Mox latè in orbe ſaeuijt
Extrema perſecutio,

Cùm

Cùm grex tenellus obuius
Fuit luporum faucibus.
Sed pace terris reddita,
FAVSTINIANVS *affuit,*
Qui diſsipatos vndiq;
Agnos ouili rettulit.
Exinde veri Numinis
Cultum vigere Felſinæ
Vidit, Crucisq; inſignia,
Et ſacra templa ſurgere.
Nos ergò veſtra nomina,
Et haec ſacrata pignora
Laude, ac honore debito
Piè colentes tollimus.
Dum ſe recens haec Metropolis
Ornare tanto munere
Praegeſtiens, eis locum
Honeſtiorem dedicat.
Sic vos, Beati, pergite
Vrbem fauore proſequi,
Benignus hinc vt omnia
Pericla CHRISTVS *arceat.*
Nos charitatis mutuae,
Pacisq; nexu colliget:
Det puritatem cordium,
Det ſanitatem corporum.

Qui mortis atrae vinculis
Virtute fractis propria,
Victor resurgens imperat
Cum sempiterna gloria.

In Translatione corporis S. GAVDENTII Ariminensis Episcopi, & Martyris, Celebrata die 3. Aug. MDXCIIII. In oppido Montis Bodij Diœc. Senogallien.

IN *hoc triumpho Martyris,*
Et Praesulis GAVDENTII,
Nil triste mentes cogitent,
Nemo sit expers gaudij.
Laetanti & ore, & pectore
Nunc sexus, ac aetas simul,
Et omnis ordo Ciuium
Hymnos vicissim concinant.
Colles aprici, & fertiles
Campi, marisq́, & amnium
Laetentur vndae, & litora
Pijs resultent cantibus.
GAVDENTII *dulcissimum*
Nomen subinde proferat,
Qui nescit eius inclytas
Laudes diserte proloqui.

Nanq;

Nanq; ipſe Caeli è ſedibus
Noſtras libenter audiet
Voces, precèsq; Gloriae
Regi benignus offeret.
Sic te rogamus, optime
GAVDENTI, vt agro, & Oppido,
Ne quâ hoſtis obſit improbus,
Patronus adſis ſedulus.
Qualem ſacrorum dogmatum
Te vidit olim vindicem
Ariminenſis Ciuitas,
Munduſq; totus audijt.
Mendoſa quando, & impia
Scripta execrando peßimi
Coetus, ſacrata diſcidit
Manus timere neſcia.
Vnde Arrianus te furor
Neci cruentae dedidit:
Sed CHRISTVS in caeleſtia
Mox regna ouantem ſuſtulit.
O CHRISTE quàm magnis tuos
Ornas trophaeis milites,
Clarans in orbe nomina,
Et iam ſepulta corpora.
Sed illa, quae ſublimibus
Paraſti in aulis praemia,
Mens debilis mortalium

Nec

Nec cogitando percipit.
Nos ergò ſancta pignora
Efferre pompa nobili,
Et haec iuuet ſolennia
Piè, ac decenter exequi.
Vt Rex ſupernus Martyrum
Gaudentibus GAVDENTII
Sacro Triumpho, gaudys
Det ſempiternis perfrui.

Ex D. GREGORIO NAZIANZENO.

De Vitæ vanitate, communiq; omnium fine.

QVIS mihi det celeres Aquilæ, vel hirũdinis alas,
Vt auolem ex mortalium
Coetibus, ac deſerta vager per luſtra ferarũ,
Ibiq; contubernio
Illarum aſſueſcam? quas iam mortalibus ipſis
Fideliores autumo.
Nanq; ita fors poſſim leuius traducere vitam,
Tot hîc refertam fraudibus.
Sed tamen hoc vnum, generi haud commune ferino,
Exors mihi dari velim:
Nempe Dei gnaram mentem, & caeleſtia ſemper
Curantem, omiſſis perditi
Illecebris ſecli, ac abrupta compede ſaeua
Immanis Orci principis.

Sin minus effugere hinc liceat, nec me esse malorum
Rex Caelitum expertem annuat:
At cuperem aeriam in speculam conscendere, vt orbis
Me posset omnis cernere:
Ac etiam exaudire procul, dum talia voce
Saepè intonarem maxima.
Mortales homines, fluxum genus, atq; caducum,
Quousq; tandem somnijs
Delusi falsis, leuia & ludicra sequendo,
Summum relinquetis bonum?
Inspicite ò miseri, cuncta vt sub Sole creata
Sint morti, & vmbris debita.
En viridi hic nuper gaudebat flore iuuentae,
Membrisq; robustissimis.
Hic forma egregia, & praestanti corpore dudum
Vertebat in se se omnium
Lumina, vt ante diem cunctis formosior astris
Caelo renidet Lucifer.
Martia hic arma manu forti tractabat, honore
Fulgebat hic Olympico.
Optimus hic agitare feras, & vincere cursu
Damas, & apros viribus.
Hic mensas vino, dapibusq; grauabat opimis,
Et terra, & aere, & mari
Ingluiem explebat. Sed contemplamini, vt omnes
Nunc curui & infirmi sient.

Corpo-

Corporis exceſſit decor, & ſubeunte ſenecta
Defloruerunt omnia.
Languent effoetae vires, ventrisq́, gulaeq́,
Omnis voluptas occidit.
Nil propè adhuc retinēt hominis, ſimilesq́ ſepulchris
Ducunt anhelum ſpiritum.
Rurſus & huc acies, ac ſanam aduertite mentem,
Et vera falſis cernite.
Hic ſermone potens eſt. hic inſignis auorum
Alto ſuperbit ſanguine.
Conſilio valet hic. naturae hic omnia nouit
Arcana. hic eſt dux maximis
Strenuus in bellis. hic opes ſibi condidit amplas,
Talentaq́, auri plurima.
Hic rigido torquet populos examine iudex.
Oſtro hic nitens, & laurea
Sic tumet, vt regem ipſum paruipendat Olympi.
Veruntamen iam omnes breui
Momento exiguum in cinerem vertentur, et omnes
Aequabit vnca falce mors.
Seruos, & dominos, inopes, opibusq́ potentes
Vnae tenebrae, vna & domus
Excipiet cunctos, quanuis ſibi marmore priua
Sepulchra viuentes ſtruant,
Ac titulos fruſtrà ſcalpant, & nomina ſaxis;
Nanq; aequa lanx omnes manet.

Et iam iam nudatae eremus caluae, aridaq; ossa.
Iam desinet superbia,
Pauperies, morbi, rixaeq;, ac tristia bella,
Et efferae libidines.
Omnia corporea simul haec cum mole peribunt,
Donec sub horrendum tubae
Clangorem rursus iussi consurgere, magnum
Sistamur ante iudicem.
Cuius ad imperium poena malè facta perenni
Plectentur; at pij optima
Praemia percipient, ac tuta pace fruentur
Celsis locati in sedibus.
Proinde meis dictis praebete fidelibus aures,
Grauem & veternum pellite.
Eia agite & mundum fugite, & quaecunq; doloſus
Fomenta serpens suggerit.
Et genus, & formam, & fasces, & opes infidas,
Vt stercora arbitramini.
In Caelumq; oculos, animumq; attollite, verae
Vbi sunt opes, & gaudia:
Quae non tempus edax, non vlla iniuria tentat
Mutare. nanq; ibi Deus
Verax illa pijs animis bona tanta parauit,
Quae nec oculus vidit, neq;
Auris percepit, nec item mortalia possunt
Corda meditando assequi.

QVIS

Ex eodem.
De Vitæ itineribus, & imbecillitate.

QVIS *ſum? vel vnde veni in hanc miſerrimã*
Lucem? aſt vbi inſatiabilis terrae ſinus
Me acceperit, quis rurſus atro è puluere
Ero reſurgens? num Deus me maximus
Seruabit, in tutiſſimum portum ferens?
Multas quidem vita haec fragilis habet vias,
Et quenq; diuerſae obruunt anguſtiae.
Nec vllum hominibus ſine malo accidit bonum:
Vtinamq; maiorem malum non occupet
Partem. Hîc opes ſunt infideles, hîc honos
Eſt vmbra prorſus, atq; larua inſomnij.
Parere, durus eſt labor. mendicitas,
Compes grauis. formae autem abit nitens decor,
Vt fulgur. ac perexigua mortalium eſt
Gratia, velut florum, ocyusq; deficit.
Iuuenta verò aetatis eſt feruor breuis,
Senecta, vitae permoleſtus exitus.
Pompa eloquentiae celerrimè fluit.
Gloriaq;, faſtusq;, tumidusq; ſanguinis
Splendor vetuſti, ſunt propè inſtar vellerum,
Quae Solis illicò attenuat ardens iubar:
Itemq; robur, hiſpidi quamuis apri.
Iniuria eſt, & contumax opulentia.
Vinclum tenax ſunt nuptiae. deinde ſoboles,

Cura

Cura eſt neceſſaria, moleſtia orbitas.
Occaſionem Curiae frequentia
Praebet malorum. at otium eſt infirmitas.
Tractare ſellularias artes pudet.
Panis alienus mixtus eſt ſudoribus,
Et colere terras, eſt inexhauſtus labor.
Pars nauitarum maior vndis mergitur.
Eſt penè carcer patria, & vagarier
Modò huc, modò illuc, liberum haud ſanè decet.
Sic cuncta demùm hîc ſunt labos, & omnia
Riſus, cinis, viſum, vmbra, ros, ſtatus, vapor,
Inſomnium, vnda, fluxus, & veſtigium
Nauis, per aequor quam Noti fert impetus,
Aut alitis liquidum ſecantis aera
Praepetibus alis. Eſtq; vita circulus
Semper volubilis, eadem ſemper rotans
Iugi viciſſitudine: dies ſcilicet,
Noctes, labores, funera, aegritudines,
Curas, dolores, commoda, atq; incommoda,
Caſusq; nunc contrarios, nunc proſperos.
At hoc bone deus optimum ſapientiae
Tuae fuit conſilium, vt inconſtantia
Hîc omnia ferent, & caduca; vt nos amor
Caeleſtium teneret, ac tolleret humo.
Mentis equidem pennis diu vetera, & noua
Omnia peragrando, nihil imbecillius
Homine eſſe comperi, nec aliud hîc bonum,

Fir-

Firmumq́ miseris accidere mortalibus,
Quàm extollere Crucem, & continenter lacrymis
Vacare; mens vt purior caelestia
Meditetur, ac totam Deiſe cultui
Dedat, ſoluta corporis tyrannide.
Nam carnis vbi retunditur ſuperbia,
Exultat animus, ac magis in illo viget
Imago, quam ſortitus eſt diuinitus.
Hoc ergò noſtrum ſit opus, hanc & viuere
Vitam eligamus, reſpuentes noxius
Quaecunq; mundus pollicetur gaudia.
Contraq́ pro ſupernae amore patriae,
Onera hîc libenter perferamus omnia.

LATINI LATINII, AD CAMILLVM PALÆOTVM.

CAMILLE PALEOTE Felſinae decus.
Nunc Tullianae compar eloquentiae,
Lumenq́ noſtri ſeculi clarè nitens:
Vetus ſodalis, ac ſenex LATINIVS
Silentium diutius negat tuum
Perferre poſſe, & maximum putat nefas;
Cùm vel breues hinc inde miſſae epiſtolae
Leuare poſſint ſaepe defeſſos graui
Labore ſtudiorum, atq; publicae rei.
Redire nunc te ad priſtinum morem rogat:
Decumbo nanq; ſemper, & crurum tenus
Vigor e prorſus captus adeò debilis,

Vt

Vt si bacilli firmioris robore
Firmetur etiam, corruat gradus tamen,
Opemq; fixo debeat repagulo.
Status LATINI *est talis, haec conditio*
Post deuolutos octies cyclos decem
Solis. caligat oculus, at scribo tamen,
In nocte quicquid mens abortu fuderit.
Scribe ergò, si me diligis, tu quoq;. Vale.

Ad Eundem, ANTONII GIGANTIS.

DECVMBIT *aeger artubus* LATINIVS,
Grandi & senectae praegrauatus sarcina:
Sed non dolori languidus, nec taedio
Succumbit ingeni vigor: quo firmius
Innixus ille, quàm bacilli robore,
Aut seruulorum bracchijs valentibus,
Sacros subinde Apollinis visit choros,
Ac nota peragrat Pindi, & Heliconis iuga:
Libethrae & vndas affluenter hauriens,
Vel mox amicis lectulo assidentibus,
Vel dissitis longè bonis sodalibus
Propinat eleganter: vt nunc obtigit
Tibi CAMILLE *Paleote Felsinae*
Decus, bonarum magne cultor artium.
Te quando nectare vndiq;, & leporibus
Manante compellauit ille carmine
Senex disertus, aurei index seculi.

Quod

Quod ipse ter quaterq́ legi, & amplius
Legendo, plus delectat. Ergò te optime
Patrone deprecor per omnes Gratias,
Tuis vt illum candidis Epistolis
Crebrò lacessas, quò Cycni tam nobilis
Crebrò vicissim recreemur cantibus.

Ad THOMAM NALDIVM Fauentinum.

NALDI Pieridum cura, & amor chori,
Quî nam te iuuenem viribus ingeni,
Et membris validum praeuiridantibus,
Ausim iam senior debilis insequi
Scandentem iuga Pindi, aut Heliconios
Montes? quin potius me decet infimis
Ignotum, ac residem degere vallibus,
Et surdis numeros arboribus rudes
Interdum querula spargere fistula.
Tu verò celeri perge viam pede,
Optatam valeas tangere vt ocyus
Metam, & laureola cingere tempora;
Quam si praecipuis propitiae bonis
Fortunae anteferes, nae tibi gloriam
Longo diminui tempore nesciam,
Et certum senij praesidium, ac decus,
Praecana iuuenis mente paraueris.

ANTONII GIGANTIS FOROSEMPRONIENSIS CARMINA HENDECASYLLABA.

Ad OLIVERIVM Fratrem.

FRATRI *Musa meo diu roganti*
Dic, quo Pieridum choros amore
Amem, & quo studio placere nitar
Praesertim tibi, sedulus beato
Dum te VIRGILII *sequor per hortos,*
Aut tecum per amoena rura FLAC-
Vagor, perq; rosarium CATVLLI: (c1
Seu leuem arboribus comam niualis
Decutit Boreas, seu agris virentes
Herbas verè Fauonius reducit.
Seu flauam Cererem terunt coloni,
Seu rubrum pedibus premunt Lyaeum:
Quin illi numeros Thalia perfer,
Quos lusi vacuus Bisenti ad vndas,
Dum per regna equitaret ipse Ibera,
Atq; auri biberet Tagum feracem:
Vt saltem hinc tibi sit fides habenda,
Vtq; ille hinc animum laboriosis
Curis implicitum leuare possit.
Si nostros tamen hoc honore Phoebus

Dignat

Dignat versiculos, queant vt atras
Menti sollicitae leuare curas.

Ad PETRVM ANGELIVM BARGAEVM. Pisas.

FRANCISCVS *tibi* VARVS *has tabellas*
Vatum maxime perferet, qui Athenas
Nunc vestras proficiscitur nouellus
Tyro, & nomine se hoc putat beatum,
Isthic copia quòd tui videndi
Fiet: quippe tuum celebre nomen
Toto pectore diligit, colitq́.
Illo nec mihi amicior, nec vllus
Est hîc carior: illiusq́ molle
Cumprimum ingenium, & perelegantes
Mores inspicies, amabis æquè
Ac doctos iuuenes soles, proboq́.
Te tantùm excipias eum benignè,
Vt mos est tuus, obsecramus: ipse
Mox viam inueniet suo lepore,
Qua tuam sibi gratiam aucupetur.
Me pridem tibi deditum esse nosti,
Nec longissima tempora, aut locorum
Interualla animum meum mouere
Tantillum poterunt, tibi nec vnquam
Obseruantia nostra defutura est.
Nos Prati quid agamus, ipse VARVS
Abundè referet. valemus omnes,

Patronus viridi viget senecta,
Tui semper amans, memorq; semper,
Et mecum tibi plurimam salutem.

Ad FRANCISCVM VARVM.

DVDVM, VARE, taces, meosq; dudum
Congressus fugis, & meam Thaliam.
Si culpa accidit id mea, molestum:
Sin minus, tamen est mihi molestum.
Nam quocunq; modo carere dulci
Cogar alloquio tuo, & lepore,
Est aequè, mihi crede, permolestum.
Sed hoc nempè molestius futurum est,
Si causam retices tui silenti.
Quòd si pergis adhuc tacere, longè
Molestissimum erit molestiarum.

M. TVLLII BEROI, Ad ANTONIVM GIGANTEM.

GIGAS optime, & optimi Patroni
Ocelle, Aonidumq; amor sororum:
Non possum amplius hos tibi pusillos,
Quos diuo cecini PETRONIO *hymnos*
Debere. hos etenim tibi petenti
Promissos, poteras mihi moranti
Iam condicere iure non iniquo.
Bonum nomen amo & haberi, & esse:

Tu,

Tu, quod ſoluo bona fide, memento
Acceptum facere in tuis tabellis.

Ad MARCVM TVLLIVM BEROVM.

TVOS accipiens, diſerte TVLLI,
Verſus Pierio vndiq; affluentes
Lepore, haud ego rettuli in tabellas
Quo iubes animo, arguant vt vllum
Te nomen ſoluiſſe; ſed perenni
Vt ſint indicio tui in me amoris,
Nec non perſpicuæ benignitatis.
Pro qua noſtra tibi Thalia grates
Dicit innumeras, & has viciſſim
Audet mittere paginas legendas:
Quæ ſaltem auriculis tuis ob vnam
Hanc cauſſam minus accident moleſtae,
Quòd laudes celebrant mei patroni.

Ad GVLIELMVM DONDINVM Bononien. Raguſij.

NVNC deſiderium vales, & acrem
Tibi explere ſitim ſatis ſuperq;
Studendi, bone GVLIELME. ceſſent
Iam triſtes querimoniae: à mihi vnquam
Det tantum Deus ocij, & quietis,
Vt quandoq; animum bonis libellis
Deſeſſum nimio labore, & atris

Curis

Curis implicitum queam leuare?
Librorum tibi copia haud puſilla
Parta eſt, parta quies, labor receſſit
Omnis, & locus ocium ipſe, & ipſe
Longum ſpondet herus: iam iter ſecundis
Capeſce ominibus diu cupitum.
Fies, ſpero, breui optimè peritus
Legum: non tibi parùm, inelegansvè
DONDINE ingenium eſt: breuiq; diſces
Aequè ac qui Pataui, Bononiaevè
Annos contereret decem ſtudendo.
At nos interea ocijs fruemur
Iiſdem, ſed ſtudio impari, minusq;
Seuero. me etenim iuuat Maronis
Carmen doctiloqui, iuuatq; Flacci.
Interdum quoque peruagari amoenos
Colles Aonios iuuat, chorosq;
Muſarum, & placidas adire ſedes.

Ad BERNARDVM LVPVM. Raguſij.

IBIS Italiam reuiſum, & almam
Iucundiſsime mi ſodalis Vrbem.
Regem Caelicolum precor, ſimulq;
Omnes Caelicolas, tibi vt fauentes
Semper ſint, & vbiq;, ſiue magni
Secas nauibus aequoris procellas,
Siue iter facis eſſedis, equove.

Ciuis

Cùm verò Tyberim ſacrum bibes, &
Amoenas latij tenebis oras:
Caueto, LVPE, ne tui Gigantis
Reddas te immemorem, ſodaliumq́:
Quorum tu ex animo, ac tenaci amore
Vix labi poteris die ſupremo.

Ad BALTHASAREM FINIVM.

FINI, quem ſeries breuis dierum
Vinclo amicitiae mihi perenni
Iunxit: quàm modò te libenter optem
Adire, ac lepidae tuae camoenae
Ad dulces numeros meum excitare
Pridem neſcio quo graui veterno
Torpeſcentem animum, nihilq́ pridem
Curantem citharae fides ſonorae,
Et molle alloquium bonae Thaliae.
Sed me triſtis hyems vetat niuoſas
Per Alpes equitare, blandi amicum
Veris, & Zephyri tepentis aurae.
Tu verò mihi fer, precor, vel abſens
Opem, & languidulae medere menti,
Non herbis, neq; pharmacis; ſed illa
Mira Apollinis arte, qua ſepulti
Manes ad ſuperas vocantur auras;
Nempè carminibus tuis politis.
Quae CELLESIVS, optimus tuarum

Vincentius Celleſius I. C. Pi-ſtorienſis

Vir-

Virtutum ſpeculator, ore pleno
Collaudat, meritoq; ad aſtra tollit.
Atqui illi hinc mage cogor inuidere,
Quòd praeſens fruitur tuo lepore,
Et ſermone diſerto, & eleganti.
Me ſolor tamen, ac vtrumq; veſtrum
Interdum memorem mei futurum
Spero: quin etiam (vt boni, atq; comes
Eſtis) colloquijs me adeſſe veſtris
Fors optabitis. ò ne inanis ipſum
Spes ludat, prohibete: ſic benigni
Vobis omnia vota dij ſecundent,
Et Phoebus facilis vocatus adſit.

POENITENTIS Carmen.

IAM riſi, & cecini, ſatis ſuperq;
Indulgens genio, ocioq; inerti:
Nunc tempus miſere fleo peractum;
Tempus quod ſpatio haud breui dierum,
Sed multos malè perdidi per annos.
Namq; ex quo didici bonum, malumq;,
Nil vnquàm niſi praua perpetraui
Aut facto, aut animo, aut nocente lingua.
Eheu quid volui mihi miſello?
En quò tempora floridae iuuentae
Contuli, en melior quò abiuit ætas;
En mihi modò quos refert amaros

Fru-

Fructus ſegnitia, & leuis voluptas.
Tu verò omnipotens Deus benigne,
Cuius eſt proprium, ſuas fatenti
Noxas parcere, ſume poenitentis
Hoc rei indicium, meisq; ſacrum
Admiſce lacrymis tuum cruorem,
Illas qui faciat valentiores
Ad ſordes animae meae luendas.
Ac ne tot maculis onuſta foedis
Laedat mox oculos tuos decoros,
Fac eam tui amore ſic calere
Clementiſſime IESV, *vt omnia illi*
Prae te gaudia ſordeant, & vni
Obnixè ſtudeat tibi placere.

Ad LVDOVICVM VILLANIVM.

QVID ò *Pieridum nouelle cultor*
Vis tibi, numeris tuis ad aſtra
Me tollens minimum omnium poetam?
Num ranam philomenae, et obſtrepentem
Anſerem æquiparas cycnis canoris?
Agnoſco tamen, approboq; mentem,
Quam præfers cupidam viros colendi;
Dignè qui ſacra Apollinis miniſtrant.
Quos ego & veneror libens, honore
Et omni reor eſſe proſequendos.
Verſus caetera mî tuos fuiſſe

Pergratos bone LVDOVICE *credas,*
Quòd sint & lepidi & perelegantes.
Quare te magis hinc amo, tibiq;
Grator moribus hoc tuis venustis
Additum decus, in diesq; tantum
Augeri cupio, vt tuae Camoenae
Cantu non modò gaudeant Bisenti
Nymphae, sed quoq; Flora, et Arnus illã,
Tota & Tuscia laudet, ac celebret.

Ad IOANNEM CVRTERIVM GALLVM Virum doctiss.

CVRTERI *optime, amabilis, diserte,*
Ergò Pieridum te amore captum
Fateris? neq; quas virente quondã
Amplexus fueris semel iuuenta,
Iam canum quoq; dispudet fouere?
Nimirum iste animus mihi probatur
Tuus, teq; etiam hinc magis magisq;
Amo: cum tamen antè plurimarum
Virtutum merito, atq; comitatis,
Et docti alloquij tui lepore
Tractus; quàm pote maximè te amarem.
Quin nostri vt tibi pectoris recludam
Sensus, & fidei id tuae rependam;
Et me nescio quam nouem sororum,
Vel quandam magis (vt reor) sacrati

Ipsa-

Ipſarum famulam chori, iuuabat
Olim deperiſſe: quae per imos
Me colles Heliconis euagari
Interdum, & liquidas ſinebat vndas
Summis Caſtalij attigiſſe labris.
Sed triſtes aliò cor inquietum
Iampridem reuocant, premuntq; curae.
Tum me ſegnities, malusq; torpor,
Quàm truncos hedera, arctius reuinxit:
Vt lentos nequeam mouere greſſus,
Nec viam reperire, qua priores
Illius repetam libens amores.
Neminem tamen inuidis ocellis
Proſpecto, celeri pede, ac ſecundis
Scandentem ominibus iugum beatum
Parnaßi, & viridi comas corona
Cingentem inter Apollinis ſodales.
Quin planè meritos eis honores,
Sicut nunc tibi, gratulor, IOANNES.
Tantùm in deſidiae meae leuamen
Magno te ſtudio rogo, ſuaues
Cantus eximiae tuae Camoenae
Meas ne prohibe venire ad aures.

MARINO BENVENVTO CINGVLANO, Annum agenti LXXIIII. ANT. GIGAS Annos natus LV.

SENI *iam senior Gigas* MARINO
Nouo carmine plurimam salutem
Dicit. quippe nouum libet vocare
Carmen, quod residi, ac diu silenti
Dictauit calamo recens Thalia.
Sic & vere nouo nouos solemus
Flores dicere, & arborum nouellas
Frondes, queis hyeme, ac gelu soluto
Iam tandem reuiresçit alma Tellus.
Huius tu facie noua, & colore
Distincta vario, Nouam colendo
Villam, non oculos modo, atq; sensus
Oblectas, per agros vagans apricos,
Vel per roscida prata, vt est tuus mos,
Herbas inde legens, & hinc salubres:
Sed mentem quoq; recreas, alisq́,
Illum dum meditare, cuius ista
Surgunt imperio: vndiq́ & peramplam
Rebus materiam elicis pusillis,
Qua grates referas Deo, atq; laudes.
Paruoq́ è silice excutis micantem
Scintillam, vnde magis cor incalescat,
Ac caelestia purius penetret.

Villanoua, Rus Gozadinorum.

Haec

Haec curae tibi ſemper eſſe noui,
Huc & omnia, quae vides, legisve,
Refers ingenio piè ſagaci.
Hac te de ſophia oppidò beata
Re, verbisq; ſubinde diſſerentem
Ipſe audire libenter aſſuetus,
Per calles populo minus frequentes
Dum comes comitem ſequor fidelem,
Immo vt diſcipulus bonum magiſtrum,
Vel vt filius optimum parentem,
Aegrè iam triduum fero te abeſſe.
Quin deſiderio tui receſſum
Iſtum iam tibi cogor inuidere:
Moraeq; impatiens te adire geſtit
In horas animus; ſibiq; demum
Satis ſi faciet, tuo lepori
Verè comperies ineſſe vires,
Quales creditus eſt habere magnes
Ignotus, niſi fortè fabuloſus:
Mirandis ſiquidem modis ab illo
Mortalem perhibent trahi, ac teneri.
Hoc tamen tua BENVENVTE *virtus*
Longè maior erit, valentioq;
Quòd breui ſpatio haud homuncionem
Diſtantem, ſed ab vrbe ter, quaterve
Paſſus mille procul trahet Gigantem.

Bononiae. MDXC. *Apr.*

Albertus Magnus lib. 2. cap 6 de Mineralib.

SVM-

Ad IOANNEM ANDREAM CALIGARIVM Britonori Episcopum, CLEMENTIS VIII. Pont. Max. à Secretis.

SVMMI *Pontificis negocioso*
Ministro auriculas leui morari
Pagella, graue crimen esse ducens,
Iampridem calamum silere iussi.
Magna nunc igitur, Patrone dulcis,
De re scribere me tibi putato:
Quando ipsam quoq; desidem Camoenã,
Torpentemq; diù stylum excitauit.
Quin magna est adeò (vt mihi videtur)
Tanti & ponderis, vt subinde pressi
Renes, atque humeri gemant Gigantis.
Nam centum mihi pensio aureorum
SIXTI lege onus addidit molestum,
Veste incedere non prius sueto
Marinus Benuenut. *Talari: tunica licet MARINVM*
Nostrum, pileoloq;, pallioq;
Libens sponte mea antea æmularer,
Si barba, & studio id minus valebam.
Nunc ægrè duodena lustra fractis
Portans viribus, ægrius grauantem
Hanc circunfero sarcinam coactus.
Seu quandoque viam ire per lutosam,
Siue puluere sordidam necesse est,

(Non

(*Non enim leuiter iuuat per Vrbem*
Vagari, hoc onere implicante greſſus)
Eheu quàm male poſt domum reuerſo,
Heu quantum eſt mihi taedij, ac laboris:
Cui nec ſeruulus eſt, nec illa forſex
Arridet celebris TRIPHONIANA.
Sed ne incommoda longius querendo
Noſtra, ſim tibi forte permoleſtus:
Te quantum pote maxime rogamus,
Vt nobis aliquâ feras leuamen:
CLEMENTEM *q́* prece optimum fatiges,
Supplici hanc veniam annuat benignus;
Priore vt liceat reſumpto amictu
Expedire minus laboriosè
Aeui quod ſupereſt iter ſupremum.
Idſi FIAT, *ero deinde verè*
Exultans veluti gigas, & ipſum
Hinc debere magis tibi fatebor,
Quàm ſi cum titulo mihi decoro
Impetres reditus duplo auctiores.

Triphon Bencius Aſſiſias tondebat ſibi veſtes lutoſas

Ad Eundem.

SI centum mihi linguae, & ora centum
Sint, dignas nequeam, Patrone, grates
Tibi dicere; tantum abeſt, vt vnquam
Potis ſim meritis pares referre.
Nam ſi pluribus antea teneri

Ipſum

Ipſum nominibus tibi fatebar;
Nempe quòd lepida allocutione
Dignares, & epiſtolis diſertis,
Nec non hoſpitio pereleganti:
Adde & munera, queis meum ſubinde
Muſaeum decoras, vel vſquè ab Iſtro,
Longinquisvè alijs petita ab oris:
Quid cenſes modò me, ſtylo ſilente,
Tecum corde loqui, intimoq; ſenſu,
Cùm tantum mihi gaudij pararis,
Quin me, vt verius eloquar, bearis?
Per te nanq; meae preces Camoenae
Maximus Pater audijt benignè;
Quo nihil poterat magis cupitum
Nobis, vel magis obuenire gratum.
Vnde me tibi vinculo obligaſti
Tam firmo, vt nequeat die ſupremo
Potenti Lacheſis manu reſolui.
Sed plures numero deinde verſus,
(Vellem dicere poſſe cultiores)
Ni fruſtra id mihi Muſa pollicetur,
Grati pectoris indices te adibunt.

Ad Eundem.

NVPER *verſiculos fide obligatos*
Bona, iure quidem optimo repoſcis,
Praeſul optime, & acribus ſubinde

Spon-

Sponſorem ſtimulas pigrum libelli:
Cùm prorſus nihil hiſcere ipſe contra
Auſim. quin ea, quae penes ſeuerum
Iudicem quoq; forſitan valerent,
Minus profero: nempe iam labantis
Aeqùe ac corporis, ingeni ſenectam:
Eiuſdem & ſteriles, velut malarum
Prouentus ſegetum; ſed haec omitto,
Ne tuae videar benignitati
Parum fidere, dum pudenter abſte
Tardae oro veniam ſolutionis.
Verùm ne tibi me moras dolosè
Nectendo impoſuiſſe ſuſpiceris,
Et nil iam fore carminis daturum:
Paucos interea arrhabonis inſtar
Hos ſume hendecaſyllabos, aprico
Quos in colle Arientis exaraui:
Caeli temperies vbi ſalubris,
Et ruris varius lepos amoeni
Tam bellè rabidi ab Leonis aeſtu
Corpus incolume hactenus tuentur;
Quàm doctè PALEOTIVS *diſerto*
Sermone, & numeris valentiore
Doricis, animum mihi ſerenat.
Sed gratiſſimus ille vtrique noſtrûm
Sermo ſaepe recurrit, aureos qui
Mores, ingeniumq́, caeteraſq́,

Camillus Palæotus Senator.

Virtutes CALIGARIS *recenſet.*
Cuius obſequijs, vt ante ſemper,
Addicti ex animo, manus ſacratas
Nunc ambo reuerenter oſculamur.

CAMILLI BALDII Ad ANTONIVM GIGANTEM Virum ſuauiſs.

ANTONI *pater eruditionum,*
Et quondam pater omnium leporum,
Muſarum omnium, & elegantiarum:
Canis cum ſenibus probus, grauiſq́,
Idem inter iuuenes ſenex venuſtus.
Nunc non amplius. Hæc fuere quondam.
Cùm gratus tibi erat tuus CAMILLVS,
Quem tu plus oculis tuis amabas,
Amariq́ etiam ille ſe putabat,
Vt pulchras iuuenes amant puellas,
Amabatq́ etiam ille te vicißim,
Vt pulchrae iuuenes amant puellae.
Verùm tu modò peßimè abſcidiſti
Omnes candiduli moras amoris:
Cum primùm es meditatus ominoſam
Fugam. tu hinc tacitus pedem abſtuliſti?
Num quid me Hercule te pudet, pigetq́?
Fatere obſecro. Quid? pudet fateri?
Tu hinc diſcedere neſcius volebas,
Quò nulla, minimaué derelictum

Con-

Consolarier allocutione
Cogerere hominem, tuumq; amicum.
*Credebas me, homo belle, cognituru*m
Non esse insidias tuas? sed erras:
Omnes certè inhias vorare ficus,
Et omnes pepones vorare solus,
Sed erras: venio, voloq; partes
Meas; sin minus, euocabo musas,
Quae te more Lycambis impotenti
Proscindent malè deprecatione.
Deuotis malè versibus petitus
Flebis, ast ego risero vicissim.

Ad CAMILLVM BALDIVM virum doctiss. suauissimumq;.

ERGO *candide, dulcis, ac diserte*
BALDI, *tam leuis illicò mouere*
Quiuit suspicio grauem, & quietam
Mentem? qualem ego vos sophos habere
Olim credideram, & supra esse curas,
Affectusq; humiles homunculorum.
Nunc sentire aliter tuum coegit
Me carmen, lepidum illud, ac venustum,
Sed nimis stomacho obsequens, gulaeq;,
Ficus, & pepones ligurienti.
Pro qua nec metuit bono sodali
Iras Pieridum, ac truces Lycambis

Exitus etiam male ominari.
Hæccine ergo erit illa Temperantis
Virtus, quam è cathedris ad astra ferre
Verbis sesquipedalibus soletis?
Iustas praeterea adderem querelas
Laesi non leuiter boniq́, & aequi;
Dum tam praecipiti simul tabella
Absentem insimulas, reumq́ damnas.
Sed stylum iubeo esse continentem,
Tuum quando fuisse temperatum
Nego; ne videar pari referre
Par, quod te quoq; mordeat vicissim:
Cùm versus cupiam meos vocari
Liberas potius iocationes,
Quàm dicteria mordicus regesta.

Ad LIVIVM LIELMETIVM Patauinum Sodalitatis Diui GEORGII ab ALGA Canonicum.

MVLTO cellula cui penu referta est,
LIELMETI, vt tibi, semper ille mensas
Quit lautas in Apolline apparare.
At secus mihi sentio euenire,
Cui & cellula inanis est, & arca.
Nam pridem meæ nil recens Thalia
Condidit, studijs bonis omissis:
Nec si id gestiat, ocij, & quietis

Nunc

Nunc tantum supereſt moranti in Vrbe,
Vt concepta queat ſtylo referre.
Non quòd vſqueadeò negociorum
Mole hîc. me querar obrui moleſta,
Expertem penitus negociorum:
Sed quòd Curia viuere abſq; curis
Non ſinat, neq; liberè ociari.
Ni velim omnia (ſi tamen daretur)
Vitans officia, & ſodalitates,
Sermonesq; hominum elegantiorum,
Ruſtici, ac tetrici ſubire nomen,
Aut ſi his eſt aliud mage odioſum.
Hinc fit, vt nequeam niſi obſoletos,
Et paucos numero, tibi legendos
Verſus mittere, ne tuos rogatus,
LIVI *candide, negligi putares;*
Qui vt Regis mihi iuſſa praepotentis
Sunt, vt ante fuere, eruntq; ſemper.
Nos verò aurea pro rigente ferro
Abs te munera poſcimus vicißim.
Nempe carmina, melle dulciora
Hybleo, tibi quae velut perenni
Fonte, doctiloquo fluunt ab ore.

In obitu Io. LEONARDI vulgò dicti il LETTERATO.

VIDIT *maxima Roma* LITERATVM
Ignarum penitus ſcientiarum.

Eum-

Eumdemq; diu omnium indigentem
Mirata eſt, ſtudio, ac paterno amore
Plus minus pueros cibaſſe centum.
Poſtremò ſtupuit, iacens cadauer,
Quod viuens erat horridum, ac lutoſum,
Multorum labijs piè oſculari..
Haec hoſpes quoq; curioſe, par eſt,
Commentariolis tuis reponas.

Epitaphium eiuſdem. in Eccleſia Confraternitatis Mortis.

CORPORI *hîc requiem laborioſo*
Repperit rudis ille LITERATVS,
Vir vitae integer, ac paternae egenos
Notus in pueros benignitatis.

Obijt anno Chriſti MDXCV. die XV. *Feb.*

Ad IVLIANVM CORBELLIVM Iuriſcons. Ex libero Oppido Pennarum S. MARINI, Octuagenarium.

CAVSAM, *quam toties mei ſilenti*
Audiſti, bone IVLIANE, *eandem*
Puta menſibus his tribus fuiſſe.
Ex quo nempe tuas ego tabellas
Accepi, gelidis datas diebus
Brumae, at non gelido ſtylo exaratas,
Nec longo ſenio labante dextra,

Eaſdem

Eaſdem ſiquidem notas, & aequo
Ductas ordine lineas videre
Nunc mihi videor, quibus iocoſos
Scribebas numeros Damonis, atq;
Montani, viridi calens iuuenta:
Iam tũ, cùm Oppida Montis Orbiani, et
Fortiui regeres. mihi vnde pernas,
Caſeos, pyra, & oua miſſitabas:
Dum fratrem puer optimum, an parentem Oliuerius Giga.
Dicam? illum vnanimem tui ſodalem,
Sectarer ſtudij ducem, ac magiſtrum.
Non ignota loquor tibi: ſed ò quàm
Iucunda haec animo eſt, eritq; ſemper
Recordatio temporum, & locorum;
Sortita eſt vbi noſtra tam beatum
Ortum amicitia, vt decem peractis
Luſtris ſe incolumem, atq; parte ab omni
Integram hactenus exſtitiſſe iactet.
Quot verò addere vel dies, vel annos
Decrerit ſuperûm Pater, nefas eſt
Nobis quaerere: debitas at illi
Ore, & pectore gratias agamus
Accepti memores. & hoc precemur,
Vitae vt curriculum annuat ſupremum
Nos piè, atq; decenter expedire:
Quod vere diuturnioris aeui
Bonum eſt praecipuum, ac mage expetendum.

MDXCV. Mart.

Ad Librum ſuum.

QVID nigrae opprobrium fugis liturae,
Vel acri impoſitas notas ab vngue
Rudis pagina tandiu perhorres?
Ah cur non magè ſibilum vereris,
Et riſus iuuenum procaciores?
Nunc ergò potius mei ſodalis
Feras iudicium ſubire, aduncos
Quàm multo in populo pauere naſos.

IVLII SIGNII

Ad ANTONIVM GIGANTEM.

QVÔD te Roma colat, miretur, non ego miror;
Ingenio miros ſuſpicit illa viros.
Quòd GABRIEL retinere ſua te geſtiat aula,
Quid mirum? doctos hic fouet, ornat, alit.
Quòd ſit amabilior, nullus te carior vno,
Hoc tua vult virtus, lingua diſerta, fides.
At ſatis id nequeo mirari, clare poeta,
Cur tua non promas aurea ſcripta, GIGAS.
Prodeat ille Liber, celebri quem laude CAMILLVS
Extulit, & quem omnis voluere lector auet.
Cultum profer opus, tibi quod dictauit Apollo:
Sic alios vates, vincere teq; potes.

VT

Ad IVLIVM SIGNIVM.

VT nullum expellit veniẽtem ad limina Petri
Maxima Roma, Orbis totius alma parẽs:
Sic quoq; me ignotũ excepit, retinetq; negoci
Expertem, nec quis sim, rogat, vnde, domo.
Munificus pascit seruum PALEOTVS inertem, Gabriel Card. Palæotus.
Saepius & rheda dignat, & alloquio.
Apparent rari veteres mihi in Vrbe sodales,
Nec iuuat obsequio deinde parare nouos.
Odit Musa senem, stylus aret, dextera friget,
Sola animum recreat lectio, parua tamen.
En meus hîc status, & multum diuersus ab illo,
IVLI, quem nimius fingere suasit amor.
Non tamen esse alium contendo, vel anxius opto;
Obstat nanq; aetas, ingeniumue magis.
Hoc monet, vt viuam paruo contentus, at illa
Vertere iam me aliò, spemq;, animumq; iubet.
Hinc mihi et ille, boni excierant quẽ iussa CAMILLI, Camillus Palæotus Senator.
Ardor sub gelido pectore pressus hebet:
Scilicet edendi mea carmina. pergis at ipse
Torpentem lepidis extimulare modis;
Et dulces libuit cantus adhibere Camoenae,
Queis fera Cyclopis frangere corda vales:
Nedum te magni, vt par est, facientis amici
Aures, atq; animum flectere, quò ipse velis.
Saepe etiã eximius mihi idem SPANNOCCHIVS vltrò

Conſuluit, longas increpitatq; moras.
Cur non ergò libens, vel non inuitus, amori
Iam faciam veſtro, conſilioq; ſatis?
Pareo vtriq;: librum vobis en dedo, tenebris,
Luceuè ſit dignus, vos ſtatuiße decet.
Me penes haud aegrè latuit; nunc deſi nit eſſe
Iſte meus, veſtri poſtmodo iuris erit.

IVLII SIGNII Ad ANGELVM SPANNOCCHIVM Iuriſconſ. Celeberrimum. In ANTONII GIGANTIS Poemata.

CORPOREAM molem vaſtã, inſanosq; GIGANTVM
Priſca aetas auſus, impia facta refert.
At liber hic orbi teſtatur, noſter vt alto
Ingenio praeſtans ſit, calamoq; GIGAS.
Tentantes illi ſuperum reſcindere Caelum,
Senſere irati fulmina dira Iouis.
Hic verò certans veteres aequare Poetas,
Et rhytmos illis ſurripere, atq; ſtylum;
Immortale decus Studijs acquirit honeſtis,
Quoq; latere magis vult, minus inde latet.
Tergemina virtute, altis ceu Montibus aſtra
Scandit, & vt Phoebus fulget vbiq; nouus.
Palladis vnus amor, Themidis lux, ANGELE Diuũ,
Gratia, SPANNOCCHI, ſemper habenda tibi.
Nam tua Suada monet, monitis & flectit amicis,
Vt tam praeclarum proferat auctor opus.

FINIS.

Bayerische Staatsbibliothek München

186

2809

3-4-1
68 fr

Digitized by Google